

AB

41 $\frac{22}{h,24}$

55
DD We
angeh. DD Ne.
DD Pa

M. CHRISTOPHORI VVINERI

PANEGYRIS

SCHOLASTICA IN MEMORIAM AN= niuersariam acerbissimæ passionis, D. ac Saluatoris nostri IESV CHRISTI, habita in ludo Gothano: in qua ad= mirandi huius operis & sacrificij propitiatorij causæ, par= tes, fines, effectus, fructus & usus ex historia Euan= gelica & monumentis Prophetarum breui commemoratione recitantur, cum expositione typorum.




M. D.

LXXXVI

E I V S D E M.

- I. Panegyreis sacrae in die coena & parasceues.
- II. Paraphrasis Poëtica Psalmi 22. de cerua ma= tutina capta.

Ad nobilissimum uirum Doctorem
LVCAM TANGEL.



I
V
C
L
M
F

P
9
d
e
r
c
o
c
p
l
l



MAGNIFICO VIRO:

NATALI

VM SPLENDORE: VIRTVTVM

& dignitatum ornamentis longè clarissimo: D.

LVCÆ TANGELL, I. V. Doctori: illu-

strissimorum Principum & Dominorum: D.

FRIDERICI GVILIELMI, & D.

IOANNIS fratrum, Ducum Saxonia, &c.

in aula Viniariensi consiliario: Domino

& Patrono suo obseruando

S. P. D.

VLtima fuit hæc uerna Panegyris, in Iudo
Gothano à me habita Vir magnifice: cuius
argumenti tractationem ipsa dominica
passionis recolitio, & tempus quadragesimale, in
quod congressus ille scholasticus & puerilium stu-
diorum συζησις incidebat, tanquam materiam
& προγύμνασμα quoddam sacrum ad ministe-
rij palastram subeundam uliro offerebat, quare
cum diebus his sacris, quibus beata uulnerum
CHRISTI memoria populo Christiano pijs ec-
clesiarum congressibus, & homilijs frequentibus
proponenda est, inter Sibylle folia, & scholastica-
lium syluam reijcuaulam, ἀετὰ ἀπεέλκτο, ui-
lisq; precij reiectanea saluam & incolumem re-
perissem:

A 2

perissem:

reperissem : Sub amplissimo nominis tui splendore
in lucem prodire uolui. Etenim te de Scholarum
dignitate nobil., hominem nobili loco & familia
natum, & de scholarum utilitatibus longè maxi=
mis & amplissimis, honestissimè sentientem, gra=
ta mentione cum uoluptate recordor. Quin &
hoc de scholarum honorifica laude & gloria ex
T.M. reminiscor : Si de har. sua sus ludi uestibu=
lum intrando ueneretur et perambulet, omni gre=
ge reliquo modestiorem, & ut ex ore nobilissimi
& generosissimi SVENDII adserebas, reliquis
sapientiorem habendam & prædicandam. Præ=
clarum armatæ militiæ de togata iudicium: digna
Martis de Apolline censura: dulce Musarum cum
Themide conuiuium: et ipsorum sapientum cœnis,
quas multo cum sale & lepore diuinosophistarum
autor describit Athenæus, adnumerandæ epulæ:
ex quibus non uenter sed animus saginatur: non
cutis aut axungia, sed ingenium & Minerua pin=
guescit. Quid de PANCRATII SVSSENBA=
CHII, sub cuius disciplina, prima artium rudimen=
ta & tyrocinia ex hoc ipso ludo in literarum em=
porium Academiam attuleras, censura Catonia=
na & ueneratione planè regia & diuina ex ore
tuo referam: VERBUM MEVM VERBUM
REGIS? Quæ utinam iuuentus attendat, profes=
Etò cum scholis, ecclesijs & rebus pub. longè con=
stitutum esset melius. Hæc M.T. commemoratio
cum

cum distributiua iusticia species quedam sit, suum
cuiq; tribuentis, & in alijs dona Dei agnoscentis,
ingenua quoq; confessione profiteris, quorum in-
dustria, studio, disciplina, & morum formatione
profeceris: tanto erit ea prater cetera uirtutum
tuarum insignia, tibi laudi & honori maiori, quo
tu SVSSENBACHIVM illum generis & natali-
um splendore, dignitatum accessione, conditionis
& eminentia gradu sublimiori & honorum cul-
mine maiori longe superasti & excellis, & tibi
scholæ omnes pro hac tam insigni gloria, ipsiq;
manes & umbræ Pancratij debitas agunt gratias.
Accipe igitur hoc meæ in te obseruantia & debita
gratitudinis $\mu\upsilon\eta\mu\acute{o}\sigma\upsilon\upsilon\epsilon\pi$, ex amoris abundantia
profectum, & me musasq; meas ueteri tuo fauore
& beneuolentia paternè complectere. Bene in
CHRISTO uale Vir magnifice, & Panegyrium
sacrarum dramata, quibus solitudinem secessus
mei, choro Musarum poëtico, tanquam congressu
Panegyricæ solennitatis in ecclesia magna fallere
& oblectare soleo, donec integri menses prode-
ant, equi boniq; consule. Ex Musarum secessu, &
Mandra ruris Sunthusini ad saltum Eripheum
VIII. Calendarum Aprilium, die multorum insi-
gnium factorum gloriosissimo. Nam hoc creatus
& è Paradiso eiectus existimatur Adam: occisus
Abel: in monte Moria oblatus Isaac: eductus è So-
domis Loth: uenditus in AEGYPTUM Ioseph: unctus

in regem David: deuoratus à balæna Ionas: con-
ceptus è Spiritu saucto Messias, oblatus in cruce
C H R I S T V S: assumtus in Paradisum
latro: ut non immerito propter mysteria sacer &
magnus: propter pœnas & iudicia D E I fata-
lis: propter euentus insignes gloriosus: propter
humane salutis exordium benedictus: propter
personarum magnitudines heroicus censeri de-
beat. Anno salutis. M. D. LXXXVI.

T. M.

reuerenter colens.

M. Christophorus
V. Vincerus.

Panegyris

PANEGY

RIS SCHOLASTICA M. CHRIS-
tophori VVineri in memoriam anniuersariam
acerbissimæ passionis, D & Saluatoris nostri
IESV CHRISTI, in ludo Go-
thico habita.

INter alias innumeras & infinitas calamitates,
& miseras generis humani, quibus omnes om-
nium conditionum & statuum homines in mun-
do quotidie premuntur & obruuntur, publica iræ
diuinæ monumenta & horribilium poenarum spe-
tacula: bella pestes, excidia & πανολεθρία, non
singulares tantum singulorum hominum: sed &
uniuersales deletiones, non urbium sed totarum re-
gionum, gentium, & populorum assidue cogitan-
da, & hominibus ob oculos ponenda sunt: ut ho-
rum consideratione homines ad poenitentiam fle-
stantur, & ad ueram pietatem, uitæq; sanctitatem
in timore Dei agendam, impellantur, ut ab Acade-
micis & Stoicis dubitationibus, de calamitatum &
afflictionum omnium fatali & ineuitabili neces-
sitate ad metas uerbi diuini reuocentur, p̄s q; ac sa-
lutaribus remedijs, contra dubitationum Epicure-
arum fluctus muniantur ac confirmentur. Enim-
uero in his spectaculis iræ diuinæ conspicitur iu-
sticia Dei, quæ non solum approbat recte facta, &
premijs

A A

premijs

P A N E G Y R I S

præmijs etiam temporalibus ornat in hac uita uirtutes & laudabilium actionum res gestas: sed etiam cohibet supplicijs, & pœnis & cruciatibus præsentibus et æternis punit & destruit, quicquid cum hac norma ac uoluntate DEI non congruit. Sic in Poëtarum & historiarum gentilium scriptis, hominum sceleratorum pœnæ et tragica supplicia testimonium dicunt de prouidentia Dei, & regulantur ad normam uoluntatis & iusticiæ diuinæ, quam in Terpsi ponit Herod. ἡ δὲ εἰς ἀνδρῶν ἔργων ἀδικῶν τίσιμ δὲ ἀποτίσει. Quemadmodum idem testatur, excidium Troie docere: ὅτι τῶν μεγάλων ἀδικιμάτων μεγάλοι εἰσὶ νουμισμοί. Hinc Ethnicorum sacerdotes & uates, Pindarus & Virgilius testantur, Ixionem apud inferos de rota concionari sceleratorum cohorti, & sæpe ingeminare hanc legis particulam: Discite iusticiam moniti, & non temnere diuos.

Præterea illustre testimonium dicunt de Deo, et confirmant hæ pœnæ scelerum notitias in mente post lapsum reliquas de discrimine honestorum & turpium: de principijs practicis: ut agnoscamus hos radios lucis diuinæ, utcunq; obscurati sunt in mentibus humanis, particulam esse ipsius Dei, & sapientissimæ & præstantissimæ illius naturæ, quæ iusticiæ & uirtutis amans has notitias mentibus

bus

SCHOLASTICA.

bus hominum ueluti normas & κριτήρια actionum in seuit, ut homines ad uirtutes colendas, metu poenarum & cruciatuum conscientiae accendantur. Pars insuper sunt concionum & comminationum legis diuinae, atq; adeo uiua paradigma poenarum, quae in oculos incurrunt. Cum enim mentes humanae suapte natura ad securitatem sint procliuiiores, nihilq; citius ex auribus & animo deponant, quam uocem uerbi: quam mandata legis diuinae: quam conciones de uitandis sceleribus: de praestanda obedientia, de colenda uirtute: Vult Deus in conspectu esse, atq; ob oculos uersari horribilium poenarum exempla, ut commonefiamus de ingenti illius ira aduersus peccata, ut sint ueluti uiui praecones & κρηγματα, quibus ad poenitentiam agendam, & seriam uita ^{emendationem} ~~poenitentiam~~ instituendam homines adigantur, intraq; metas officij & uocationis contineantur, ne oblitum praecceptorum Dei ruant in peccata & scelera contra conscientiam, & calamitates publicas & priuatas, sibi & alijs suis accersant flagitijs, quemadmodum Cecias uentus nubes attrahere dicitur.

Commonefaciunt etiam haec ἐπιπλήξεις & ἐπιτίξεις temporales de longè alio grauiore & horribiliore iudicio secuturo, quod non unius horae male momento, ut improbè loquuntur scelerati,

A 5 aut

P A N E G Y R I S

aut diei breuissimo spacio finietur, aut uindictam
 exercebit temporalem: sed poenas & supplicia ir-
 rogabit flammis Gehennae infernalibus, & Far-
 tarorum cruciatibus nunquam finiendis: confusio-
 ne & ignominia perpetua mala conscientiae: eter-
 na à Deo reiectione & damnatione: horribili af-
 flictione & anxietate corporis & animae: tormen-
 tis & cruciatibus in stagno lacus sulphurei: socie-
 tate terribili cum diabolis: inter eiulationum plo-
 ratus & ululatus horrendos, & crepitantes den-
 tium stridores: in tenebris abyssi & claustrorum
 infernalium exterioribus: spe liberationis omni in
 eternum adempta: & poenis furiarum nunquam
 finiendis: ad quorum ne dicam sensum (quod cle-
 mentissimus DEVS propitius auertat ab omni-
 bus) sed nudam saltem cogitationem, ipse animus
 meminisse horret, luctuq; refugit.

Etsi uero in historijs tam sacris quam pro-
 fanis, omnibusq; temporibus & aetatibus mundi,
 ubiq; occurrunt horribilium poenarum exempla,
 Gene. 7. & irae diuinae monumenta euidentissima aduersus
 peccata: qualis est deletio & ^{ταυροκενδο} gene-
 ris humani, inundatione diluuij uniuersalis, octo
 Gene. 19. tantum hominibus in arca seruatis: conflagratio
 Sodomorum, & deuastatio longè amplissimi et iu-
 cundissimi tractus orbis terrarum: erumpentibus

SCHOLASTICA.

hodiernum usq; diem, in rei gestæ testimonium, Egesip.
 ex lacu cineritio emortui atq; combusti maris, lib. 4.
 flammarum reliquijs & fauillis ardentibus: exci- cap. 10.
 dium deniq; urbis Hierosolymæ, quæ totius mundi
 uelut oculus, cor et anima fuit, atq; adeo ipsius Dei
 habitaculum, & domicilium longè gratissimum:
 extirpata funditus tota Politia Iudica cum re-
 ligione & cultibus diuinis, & dispersis in uniuersum
 orbem terrarum huius populi reliquijs: Ta-
 men nullum reperitur in omnibus gentium profa-
 nis & sacrarum literarum historijs, iræ diuinæ
 monumentum horribilius, ἢ τῶν τραυλικῶν πο-
 θιυάτων τραυλικώτερον, quàm quod unigenitus
 DEI filius, creator cœli & terræ, totiusq; rerum
 uniuersitatis dominus, quem tremunt angeli: ado-
 rant potestates, laudant beata Seraphim: crudelis-
 simorum hominum impijs & pollutis manibus
 (quod in corrigijs pedum ipsius contrectandis ma-
 ximus ille chori Prophetici dux, & præstantissi-
 mus inter natos mulierum IOANNES BA-
 PTISTA, ille Zachariæ sacerdotis ex miraculo-
 sa natiuitate conceptus filius, solenni coram mundo
 contestatione ueritus erubuit) non dico tangitur:
 sed ueluti nefarius latro, atq; hominum facinoroso-
 rum, & perditissi nebulonum, ad quos uel terram
 dehiscere oportebat, flagitiosis, alastor uinculis im-
 manissime cōstringitur, cōspuitur, alapis ceditur,
 toris

P A N E G Y R I S

loris & uirgis ad cruentam sanguinis eruptionem
 flagellatur, & tandem capitis sententia damna-
 tus, medius inter latrones, extra urbem & castra
 populi eductus, crudelissimo supplicij genere ne-
 catur: diro suspensus ligatus, tanquam $\pi\rho\sigma\iota\phi\eta\mu\alpha$
 & pollutum $\kappa\alpha\theta\alpha\rho\epsilon\mu\alpha$, DEO & hominibus inui-
 sum & maledictum, qui tamen erat,

iustissimus unus

Qui fuit in terris, & seruantissimus equi:
 in cuius ore, ut ex Esaia testatur apostolorum prin-
 ceptus, non est inuentus dolus: quo sol nihil in mundo
 aspexit sanctius, nihil iucundius: terra nihil exce-
 pit gremio suo desiderabilius: nihil optatius: coe-
 lum ipsum nihil uidit augustius: nihil praestantius: quo
 uim patiente tota rerum natura passa est: in mae-
 rorem conuerso, & praeter naturae ordinem radi-
 os suos mundo denegante luminarium coelestium
 principe, & rerum omnium nascentium fonte &
 origine sole: tenebris cooperientibus uniuersum
 terrarum orbem: rupto templi uelo, & in duas
 partes a summo usque ad imum scisso: ipsis etiam ri-
 gidissimis scopulis, & durissimis saxorum & ru-
 pium corporibus motu suo praere rei indignatione
 dehiscentibus: terramotibus insolitis tremente: &
 sepulcris sponte se aperientibus: ut sanctissimi pa-
 trum & patriarcharum manes, mundi praesen-
 tem & inusitatum statum contemplaturi egrede-
 rentur.

Magnum

SCHOLASTICA.

Magnum magnum mehercule necesse est, fuisse hoc iræ diuinæ incendium, ad quod extinguendum, non profundissimus Indorum Ganges: non uelocissimus Assyriorum Tigris: non uorticofus Armeniorum Euphrates: non portentofus Aegyptiorum Nilus: uasta Paradisi flumina: non uniuersale mundi diluuium: non rubri maris pelagus: non totius orbis terrarum ingens Oceanus: non deniq; animalium & uictimarum omnium ueteris testamenti, aut totius generis humani una cæde profusus sufficiebat sanguis: Sed unius immaculati agni DEI cruore propitiatorio effundendo opus erat.

Quare cum grauissimis de causis non solum toto uitæ tempore hoc admirandum opus de redemptione generis humani, & temperamento iusticiæ & misericordiæ diuinæ cogitandum sit, sed & hoc die in ecclesia recurrat & adsit anniuersaria solennitas & recordatio beatæ ac salutiferæ passionis & mortis D. & saluatoris nostri IESV CHRISTI: par est, non quidem de hoc argumento pro rei dignitate splendide quicquam dicere aut prolixè orare, (id enim hominum quis poterit?) sed tantum in puerili hoc cœtu & agmine scholastico cum pueris balbutire de hoc summo & admirando opere, cuius consideratio longè superat,

P A N E G Y R I S

non hominum sed et ipsorum angelorum sapientiam, ut consideratione huius admirandi beneficii, & horrenda ira Dei aduersus peccata generis humani: & misericordiae diuinæ magnitudo in nos miseros homunciones innotescat, & ad timorem Dei, fidem, & fiduciam, cum debita animorum gratitudine, in pectoribus nostris accendenda, ut cunq; exuscitemur.

Defini-
tio.

Passio domini ac saluatoris nostri I E S U CHRISTI opus & sacrificium est propitiatorium filij Dei, quo horrendam iram Dei aduersus peccata generis humani uolens in se recipit mediator, & fit uictima pro peccatis mundi: offert se eterno patri spontanea uoluntate ex immenso amore & dilectione erga miseros homines, ad ferendam mortem, ad sustinendos acerbissimos cruciatus et dolores corporis et animæ, mirando temperamento iusticiæ & misericordiae diuinæ sic ordinatos, ad compensationem poenarum & iusticiæ diuinæ: ad placandam iustissimam iram DEI: ut hoc sacrificio propitiatorio genus humanum ab ira Dei, à peccato à maledictione legis diuinæ, ab æterna morte, à cruciatibus & tormentis Gehennæ infernalibus sufficienti lytro redimeretur, & in gratiam cum Deo, uitam & gloriam æternam restitueretur.

Qualiscunq;

SCHOLASTICA.

Qualiscunq; hæc est expositio seu descriptio passionis CHRISTI ex qua mirandi huius operis causæ, partes, fines, effectus, fructus & usus utcunq; colligi ac considerari possunt. Minimè gentium uero sic cogitandum, cum legimus saluatorem captum, uinctum, a lapis casum, illusum, consputum, flagellatum, spinis coronatum, cruciatandem affixum esse: ut præcipuam hanc grauissimamq; huius tragœdiæ partem fuisse existimemus, quam neruorum laceratione, & cruciatibus in corpore obortis sustinuit: Sed hunc omnium maximum ac difficillimum passionis agonem fuisse Partes. statuamus, cum in horto ternis uicibus in faciem prostratus, & luctans cum horribili sensu iræ diuinæ, grumos spissi ac concreti sanguinis per sudorem emisit: cum pauores in anima sensit horrendos, in tantum, ut sub mole, aestu, & turbine dominicæ indignationis uelut tempestate oppressus agonizare cœperit, ut ab angelo de cœlo confortatus oraret prolixius. Quare primum de hac spiritali & interna animæ lucta, deinde de corporis laceratione externa dicendum.

Quæ uero hîc ullius hominis tanta est sapientia? quæ uis ingenij? quod acumen? quæ dicendi facultas? quæ promptitudo tanta? ut horum pauorum magnitudinem, atq; consternationis animi molem,

P A N E G Y R I S

molem, qua correptus est filius D E I in horto, & sensu magnitudinis iræ diuinæ, qua calicem furoris diuini non hausit tantum, sed planè absorpsit: cum in limum profundi maris & altitudinem peccatorum nostrorum, tempestate furorum diuinorum non coniectus, sed planè submersus fuit: cum iniquitates nostræ caput hoc sanctissimum non grauata tantum, sed & supergressæ sunt, & ueluti immensa moles oppresserunt: non dico uerbis aut oratione satis persequi, sed sensibus tantum metiri atq; animo consequi possit? Longè hîc inferior est est omnium non modo hominum, sed et angelorum sapientia & eloquentia. Debebant de hac re loqui homines non trauti, sed dicendo expediti: non leuiter imbuti, sed perfecta rerum cognitione ueraq; sapientia instructi: non Grammatici aut miseri Pædagogi, sed perfecti Oratores: adeoq; soli AEschines, soli Demosthenes, soli Lysia, soli Alcimantes, soli Antisthenes, soli Demades, soli Isocrates, soli Lycurgi, soli Cicerones, soli Gorgia: adeoq; perfectissimi et exercitatissimi quiq; in dicendi facultate Oratores & Coryphæi, qui eloquentiæ laude, antiqua fama & gloria ab autoribus celebrantur. Verum cum hac destituamur potentia & dicendi facultate, & tamen de hoc admirando opere nobis loquendum sit, & ex infantum & lætentium ore laudem sibi comparare uelit dominus:

nus:

SCHOLASTICA.

mus: licebit interim nobis cum pueris τραυλιζεμε
 ημεν δεδιζεμε, donec illa balbuties & traulismus
 post nouam illam carnis nostrae anastasin & me-
 tamorphosin gloriosam in futura uita cedat in
 perfectam, omnibusq; numeris absolutam eloquen-
 tia facultatem et gloriam in praedicando hoc ope-
 re DEI consequendam.

Sed ipsorum Euangelistarum uerba & textum
 historiae audiamus. Descripturi Euangelistae hanc
 internam animae CHRISTI passionem, & ago-
 nem spiritualem, quo luctatur cum horribili sensu
 irae DEI & tentatione desertionis & abiectio-
 nis à DEO, uerbis utuntur admodum emphaticis &
 ponderosis. Cum trans torrentem Cedron ad mon-
 tem oliuarum egressus, apud uillam Gethsemanes,
 hortum quendam introiisset, assumpto secum Pe-
 tro, Iacobo ac Iohanne, Zebedaei filijs: testantur
 Marcus & Matthaeus, eum coepisse grauiter ani-
 mo angi & expauescere, sic quidem, ut non solum
 naturalem uultus colorem ac faciem insigni pallo-
 re, quod illi ut homini, naturaliter contigisse ueri-
 simile est, pra' ingenti tristitia et animi consterna-
 tione commutauerit: sed & ut Lucas refert, cum
 aliquantò longius & uehementius intenderetur
 haec lucta, spissi ac cruenti sanguinis guttas, quas
 ille medicorum appellatione θρόμβος appellat,

Agon &
 lucta spi-
 ritualis
 in horto.

Lucæ 22.
 Ver. 44

B per

F A N E G Y R I S

per sudorem in terram decurrentes emisit. **Am̄** ambo utuntur verbo admodum emphatico, quo doloris intensiorem & tentationis magnitudinem exprimere, et ob oculos ponere nituntur. ἡρξάτο, inquit, λυπέσθαι καὶ ἀδύνατον εἶναι. Est autem ἀδύνατον obiectu & intuitu alicuius instantis mali & periculi, tanto animi angore tantaq; consternatione subito opprimi, tamq; grauiter & supra modum angī, ut non solum præ dolore quis extra se positus uideatur, atq; ubi sit, qui dicat, quid faciat, ignoret: sed & dolori præ multitudine angorum succumbere, adeoq; deficere & exanimari.

Tales in **CHRISTO** fuisse pauores, præter ipsius historiam testatur spiritus sanctus in Psalmis, iam dudum sub Prophetæ nomine **CHRISTVM** inducens eiulantem & querentem, uerbis plenis grauissimorum affectuum:

Psal. 22. Factum est cor meum, sicut cera liquefscens:
Vers. 15. Virtus mea tanquam testa exaruit, in puluerem mortis deduxisti me.

Psal. 30. Traditus sum obliuioni, tanquam mortuus à
13. corde: factus sum ὡσεὶ σκεῦ & ἀπολωλὸς.

Psal. 39. Circumdederunt me mala, quorum non est
13. numerus. Comprenderunt me iniquitates mee, ut uidere non potuerim: multiplicatæ sunt supra capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Abyssus

SCHOLASTICA.

Abyssus abyssum inuocat in uoce cataractarum tuarum. Omnia excelsa tua: Omnes fluctus tui super me transierunt. Psal. 41. 8.

Cor meum conturbatum est in me: formido mortis cecidit super me. Timor & tremor uenerunt super me, & contexerunt me tenebrae. Psal. 54. 5.

Intrauerunt aquae usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, ubi non est fundus. Psal. 68. 1. 2. 3.

Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.

Defessus sum clamando, raucae factae sunt fauces meae: defecerunt oculi mei: multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me.

Repleta est anima mea malis: & uita mea appropinquauit inferno. Psal. 87. 4.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio. 5.

Confirmatus est super me furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me. 6.

Afflictus & exanimatus sum à iuuentute mea: tuli terrores tuos ferè ut deficiam. 16.

In me transierunt irae tuae: & terrores tui conturbauerunt me: circumdederunt me sicut aquae. 17.

A uoce gemitus mei adhesit os meum carni. Defecerunt sicut fumus dies mei: ossa mea sicut torris adusta sunt. Percussum est cor meum, exaruit ut foenum. Psal. 101. 6. 4. 5.

B 2 Circumde

P A N E G Y R I S

Psal. II 6.

3.

Circumdederunt me funes mortis: anxietates
infernæ inueniunt me, tribulationem & dolorem
inueni, &c. Et querelæ similes, quæ passim in
Prophetis, & ubiq; in Psalmis occurrunt.

Quæ omnia non sunt dicta animi, exultantis
præ gaudio, sed planè consternati et occumbentis,
abiectioni & præcipitati in profundissimas Syrtes
iræ & indignationis diuinæ: transeuntibus super
caput illius omnibus omnium furorum diuinorum
eatarractis, & non modo mergentibus, sed planè
eum opprimentibus & submergentibus.

περι
Particu=
la nota
est ex=
cessus.

Quod autem in talibus miserijs et pauoribus
constitutus fuerit filius DEI, testatur oratio illius
tristissima: περιλυτωσησιν η ψυχη μου εως
θανατου. Undiquaq; anxia, terroribus & dolori=
bus conturbata & prostrata uelut est anima mea,
adeo ut nihil mali restat reliquum, nisi malorum
omnium mors ultima finis.

Erat quippe hæc hora illa tristissima, atq;
omnium, quæ ab exordio mundi fuerunt, horribi=
lissima, qua ad mortem iam destinata et sub mun=
di uesteram ad maetationem diei sequentis segre=
gata erat hæc uictima, ut in ipsius caput conijce=
rentur omnes diræ, omnes blasphemie, omnes im=
precationes

S C H O L A S T I C A

precationes & maledictiones, in lege diuina comprehensa: omnia deniq; peccata & flagitia ab origine mundi ad hanc horam usq; designata, futurisq; temporibus designanda, ut iram Dei grauissimam in se reciperet, & uelut agnus ad occisionem duceretur.

Quid tum animi putas fuisse filio Dei? cum in sanctissimos humeros suos recepta horribili illa meorum ac tuorum, omniumq; hominum peccatorum sarcina, cuius magnitudo ipsam mundi molem longè superauit, & sub qua tristissimas illas querelas & eiulatus adeoq; guttas illas & dropsas spissi sanguinis per sudorem emisit, prostratus in faciem, ternisq; uicibus clamans: Pater si possibile est, transeat à me calix iste: quid inquam, quid illi animi tum fuisse putamus? cum in horto sub onere illo tot uicibus & gemitibus in genua prolapsus, & supplex ante tribunal æterni patris prouolutus, nullum non modo deprecationis suæ responsum accepit, id quod alio tempore, concusso loco & tonitru factò legimus: Sed insuper se ueluti prædam, & ceruam matutinam, à malignantium concilio & canibus ac moloßis infernalibus undiquaq; cingi, circundari, obsideri, indeq; uelut signo dato, horribili clamore & latratu inuadi uidit, & damnationis & capitalis sententiæ

P A N E G Y R I S

Formulam contra sanctissimam animam suam, *de-*
luti mucronem gladij & arietem inconcussam
aperto Marte dirigi sensit, eterno patre plus
quam irato & concitato spiritu uultuq; immoto, in
hunc modum de cælo fulminante, & capitis sen-
tentiam fatalem pronunciante:

Ioel. 2.
 Ethiopia
 sententia
 capitalis
 et excom-
 munica-
 tionis ex
 Prophe-
 tis colle-
 cta ad ex-
 stimandam
 iram diui-
 ne ma-
 gnitudi-
 nem ad-
 uersus
 peccati-
 mundi.
 Amos 3.
 Esai. 5.
 29. 30.
 Esai. 51.
 15.

Venit, uenit dies ~~dies~~ domini: dies tenebrarum
 & caliginis, dies nubis & turbinis. similis ei non
 fuit à principio, & post eum non erit usq; in an-
 nos generationis & generationis. Ante faciem
 eius ignis uolans, & post eum flamma comburens.
 A facie eius tremuit terra, moti cæli: Sol & luna
 obtenebrati sunt: Stellæ retraxerunt splendorem
 suum.

Nunquid leo rugiet in saltu, nisi habuerit præ-
 dam? nunquid catulus leonis dabit uocem de cubili
 suo, nisi apprehenderit? nunquid auferetur lacus
 aucupis de terra, antequam quid ceperit?

Rugitus eius ut leonis, rugiet ut catuli leonum:
 frendet & tenebit prædam, & amplexabitur, &
 non erit, qui eripiat. Et sonabit super eum in die
 illa sicut sonitus maris: aspicias terram, & ecce
 tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata in cali-
 gine eius.

E G O E G O D O M I N U S D E U S : D E U S
 exercituum nomen meum.

In

SCHOLASTICA.

In meipso iuravi, & egredietur de ore meo
uerbum iustitiæ. Esa. 45.
23.

Nunquid non uerba mea sunt, quasi ignis com-
burens? & quasi malleus conterens petram. Ecce
nunc turbo dominicæ indignationis egredietur, &
tempestas erumpens super caput impiorum ueni-
et. Non reuertetur furor meus, usq; dum faciat, &
usq; dum compleat cogitationem cordis mei. Ierem.
23. 19.

Quapropter hæc dicit dominus: in tempore
placito exaudiui te, et in die salutis auxiliatus sum
tibi. Seruaui te, & dedi te in fœdus populi, ut
suscitares terram, & possideres hereditates dissi-
patas, ut diceres his qui uincti sunt: exite. Et his,
qui in tenebris sunt: Reuelamini. Esa. 49.
8.

Posui uerba mea in ore tuo, & in umbra ma-
nus meæ protexi te, ut plantes coelos, & fundes
terram, & dicas ad Sion: Populus meus es tu. Esa. 51.
16.

At nunc, nunc bibisti de manu domini calicem
iræ eius, calicem furoris et indignationis, & usq; ad
fundum calicis soporis bibisti, et usq; ad feces potasti. 17.

Abcissus es de terra uiuentium: propter sce-
lus populi mei percussi te. Esa. 53. 8

Ad punctum hoc dereliqui te, & in miserati-
onibus magnis congregabo te. In momento indi-
gnationis abscondi faciem meam à te, & in mise-
ricordia sempiterna misertus sum tui. Esa. 54.
7.

B 4

Torcular

P A N E G Y R I S

Psal. 62. Torcular calcabis solus & ex omnibus popu-
 3. 4. lis nemo erit tecum. Quoniam dies ultionis est in
 corde meo, & annus, quo redimentur mei, uenit.

Psal. 49. Venerunt structores tui, & destruentes te :
 17. 18. & dissipantes à te exibunt. Leua in circuitu ocu-
 los tuos & uide: omnes isti congregati sunt, & ue-
 nerunt tibi.

Psal. 51. Duo sunt, quæ occurrerunt tibi: quis contrista-
 19. bitur super te? uastitas & contritio, fames & gla-
 dius, & quis consolabitur te?

Zach 12. Sed & uidebunt in quem transfixerunt.
 10.

Zach. 9. Et tu in sanguine testamenti tui educes uim-
 11. ctos de lacu, in quo non est aqua.

Zach. 13. Nunc igitur nunc consurge phramea mea: sus-
 7. citare super pastorem meum, & super uirum ad-
 hærentem mihi proximè: dicit DOMINVS exer-
 cituum. Percute pastorem, ut dispergantur oues,
 & conuertam manum meam ad paruulos.

Deu. 27. Επικατάρατ & πάς ὁ ἄνθρωπος &c.
 26. Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ
 scripta sunt in libro legis, ut ea opere perfecerit:
 & omnis populus dicat: fiat fiat.

Hæc dicit DOMINVS Zebaoth, DOMI-
 NVS exercituum: per me ipsa iuravi: EGO
 DEVS & non mutor.

O horren-

SCHOLASTICA.

O horrendum, ô tremendum excommunicati-
 tionis diuinæ fulmen in filium Dei: & diem domini-
 ce indignationis magnum & terribilem, diem te-
 nebrarum & caliginis, diem nubis & turbinis: cui
 uerè similis non fuit à principio, nec post eum erit
 in annos generationis & generationis: præter ul-
 timum tremendi iudicij diem, quo sæuissimi ar-
 dentissimiq; ignium uolantium turbines, & com-
 burentium flammaram tempestates, & cataclys-
 mi horrendi, ex omnibus cœlorum uoraginibus, &
 infimis incendiorum Gehennæ caminis ἀνω ἕως
 κατω sursum deorsumq; erumpentes in impiorum
 caput effundentur. Mirum adeo non fuit, non con-
 tremuisse modo, sed & cœlum & terram à con-
 spectu Dei fugisse, corruisse: dissolutis penitus, atq;
 in nihilum redactis omnibus elementis & mundi
 corporibus: atq; adeo cuncta in chaos illud anti-
 quum collapsa rediisse. Quid hoc aliud est? quàm
 si seuerissimus & plus quam iratus ille iudex, de
 cœlo sententiam capitalem in filium in hunc mo-
 dum pronunciet:

Ego te hac horribili & foeda peccatorum
 larua, quam in terris induisti modo, pollutus &
 foedissimè conspurcatus: thronum meum accedens:
 in genua prouolutus: filius patrem me compel-
 lans: pater filium ex me genitum non modo non

Exegetis
 τῆς ἡθου-
 ρολίας.

B 5 agnosco,

P A N E G Y R I S

agnosco, non audio, non recipio: sed ut omniū flagi-
 tiosissimum & perditissimum alastorem, quem un-
 quam solis iubar aspexit, ab oculis, facie, uultu meo
 excludo: profligo, projicio, extermino, proseribo,
 condemno: atq; nunc potestatem facio insensissimis
 & crudelissimis quibusq; hostibus tuis, ut te tan-
 quam strumam, tanquam pestiferum ulcus generis
 humani, ferro, ui, gladio & armis prosequantur:
 in necem tuam conspirent: ad te tanquam scelera-
 tissimum latronem capiendum, constringendum,
 crucis patibulo affigendum, furijs armentur et ab-
 ripientur. Tu illud foedissimum, abominandum, et
 detestandum sis Βδ'ελιγμο: tu piaculum obscœ-
 num: catharma illud impurum: coram quo nares,
 oculos, palatum, & os obstruant: faciem auertant:
 quicumq; te aspiciunt. Tu illud peripsema sis exte-
 randum, cuius nomen ē terris, & ex hominum
 memoria deleatur. Tu κατὰ πόλιν, tu lues illa populi,
 scelus, quod mortales omnes horrendis diris &
 execrationibus persequantur. Tu illud anathema:
 quod in omnibus locis publicis & sacris, omnibus
 non modo templorum, curiarum, portarum, urbi-
 um uestibulis & ingressu, cippis & columnis: sed
 & singularum domorum foribus et ualuis publicē
 proseribatur & excommunicetur. Tu alastor ille
 crudelissimus cuius contactu tellus polluta sit: cu-
 ius consuetudine omnes tribus abstineant: congrega-
 sum

SCHOLASTICA.

Cum metuant: uultum fugiant: affectum auerfen-
 tur, totumq; abominentur mortales. Tu sicarius
 ille *παλαμναί* ☩, *Ἐξάγυς* ☩, *ἄλιπῆρι* ☩ *νοῦ*
ἄλιπῆρω, pro quo nemo intercedat: nemo preces
 fundat: nemo incensum offerat. Tu illud *μίσος* *μα*
 ☩ *maranatha*, abominatio, labes, macula, pro-
 brum, ☩ exitium populi esto, ad perditionem de-
 stinatum. Tu idolatrarum maximus: hariolorum
 ☩ incantatorum pessimus: tyrannorum crudelis-
 simus: periurorum leuissimus: blasphemorum im-
 pijsimus: impiorum sceleratissimus: impurorum
 pollutissimus: belluorum perditissimus. In te conie-
 ctum uolo. quicquid impietatis usquam est, fuit,
 erit: quicquid mali perpetrari, quicquid supplicij
 aut tormenti dici, nominari, imo cogitari potest.
 Tu ille numinis mei contemptor: sabbatorum me-
 orum profanator: maiestatum conuitiator: disci-
 plinae uiolator: impius ille Manasses: incestuosus
 Loth: homicida ☩ adulter David: inuidus ille
 Esau: superbus Nabuchodonosor: scænerator ille
 Zachæus: profugus ille Ionas: persecutor ille Sau-
 lus: peccatorum deniq; omnium, qui unquam in
 mundo fuerunt, peccator maximus: in quo nihil
 pietatis, nulla numinis obseruantia, nulla proximi
 dilectio, nulla humilitatis mica: nihil deniq; nisi
 præuaricatio, impietas, iniusticia, ☩ abominatio
 horrenda reperta fuerit. Abi abi scelerate: abi
 maledicte à conspectu meo, ☩ c. Quis

P A N E G Y R I S

Quis piæ mentis homo non cohorrescat, atq; adeo totus contremiscat, trepidet; corruat, ad hanc tam diræ sententiæ, tamq; horrendæ damnationis terribilem formulam? ô iudicij diuini rigorem & æstum intolerabilem. O furorum diuinorum non horrescentes imbres, non crepitantes indignationum grandines: sed erumpentes ex omnibus cœlorum ruptis fenestris, inter horrissonorum fulminum, & coruscantium fulgurum & tonitruum fragores, torrentium & catarractarum diuinarum crepidines & cataclysmos terribiles. Verè uerè hîc omnes gurgites, omnes fluctus irarum diuinarum, omnia excelsa transierunt super caput filij: Circumdederunt eum hîc aquæ usq; ad animam: abyssus eum circumuallauit: pelagus furorum operuit caput eius: timor & tremor uenerunt super eum: inferni tenebræ contexerunt eum. Hi æstus, hi euripi furoris & iustitiæ diuinæ, excoquentes uelut ignis consumens, humanam naturam in CHRISTO propter peccata nostra (quicquid sanè ex Physicis de cruento sudore profertur in medium) causa fuerunt tristissimorum angorum, & grauiorum spissi sanguinis, qui per sanctissimam illius facièm & barbam, præ æstu indignationis diuinæ guttatim destillauit, decurrentibus in terram. Et sic illis cruentis, colliquefacta & uelut in camino ignis resoluta humana natura

tura

SCHOLASTICA.

*Tura in CHRISTO: ut cor illius factum fuerit
uelut cera liquefscens: uirtus corporis & uigor om-
nis uelut testa exaruerit: lingua palato adhaeserit:
fauces raucae clamore factae sint: & oculorum lu-
men in tenebras conuersum: quod accidere solet
hominibus, in magnis pauoribus constitutis, ut ani-
mo deficient, & lypothymiam passi in terram
paulatim concidant, quod in damnatis ad mortem,
prolata capitis sententia, crepante baculo, & uer-
sa urna subsellijsq; non semel est deprehensum.*

*Hos angores augent indomitus ille furor &
hostium rabies, mea q; ac tua, omniumq; hominum in
mundo profunda securitas, & huius preciosissimi
lytri, quod in uanum laborare uidebatur, con-
temptus. Verum enim uero cum non sibi, sed mihi
ad tibi pateretur: non proprias sed alienas iniqui-
tates & poenas portaret: nec unius alastoris &
peccatoris, sed omnium desperatarum conscientia-
rum pauores & horribiles cruciatus sentiret:
multo grauius angebatur, adeo q; iam secundum
crucifigebatur, uidens meritum sanctissimae pas-
sionis & mortis suae non modo pro nihilo habitum
iri: sed & furenter abiectum, horribiliter effusum
& pedibus conculcatum iri ab hominibus, adeo q;
non hosce breuiiores, sed longe grauiores cruciatus
in igne & supplicio eterno sine ullo fine perpetuo
secuturos,*

P A N E G Y R I S

secuturos, quos ipse ex his tormentis & camino
flammarum infernalium, uelint modo, cupidissime
ac libentissime moriendo conseruaturus erat.

Videbat item tanquam prudens gubernator,
in altissima constitutus specula, non solum hunc
proditorem suum, & ceteros Carnifices & torto-
res: Iudam, Hannam, Caipham, Herodem Anti-
pam, Pontium Pilatum, uiros omnes magnos, om-
nes in eminentia constitutos, omnesq; summos
principes summos pontifices, lumina, capita, cor
& animam populi: ad quos utpote oues perditas
de domo israel seruandas uenerat, paulo post pœ-
nas horrendas daturus esse, sed & uniuersam Iu-
deorum gentem & posteritatem, cum florentissi-
mo hoc regno & politia, quæ annos amplius bis
mille incolumis contra externorum hostium in-
cursus & minas steterat, penitus tandem deletum
& excidio datum iri, dispergendis & dissipandis
huius populi relliquijs, non solum in totum orbem
terrarum, sed & miserè excoecandis, & ad finem
usq; in hac obstinata induratione & peruicacia
contra se mansuris, & tandem instar occisorum
& mactandorum gregum, conglobatim & cater-
uatim, à canibus & furijs infernalibus ad Tarta-
ra abripiendis & dilaniandis.

Sat

SCHOLASTICA.

Sat de hac spirituali & interna CHRISTI passione, quam in sanctissima anima sua per-
tulit, luctans cum ira DEI intolerabili, & horri-
bili dolorum infernalium sensu ex peccatorum
atrocitate & magnitudine. Restat altera pas-
sionis pars, de cruciatibus corporis, ex laceratione
neruorum, quæ etsi non propriè ab hac historia
parte, sed ab ipsis incunabulis exordienda erat, ut
dum infans natus, in maxima nuditate, hyemis
asperitatem & frigoris inclementiam sensit, in
duro præsepio positus in medio animalium: Hero-
dis immanitatem expertus persecutione & exilio:
hinc ætate adulta paupertatis incommoda, peri-
cula itinerum, defatigationem corporis, angustias
& discrimina præcipitationis, lapidationis aliq;
infinita pericula, totos triginta tres annos patien-
tissimè perpeffus.

Passio
corporea=
lis secun-
dum par-
tes subie-
cti pati-
entis, &
locorum
differen-
tias.

Tamen nunc omiffa hac parte laborum, ulti-
mi bidui historiam, quo postremum uitæ actum in
terris claudens, cum discipulis ultimum pascha ty-
picum celebravit, se ipsum iam offerens, & operi
redemptionis apicem illum aureum & coronidem
morte & supplicio suo imponens, pronuncians
tanquam summus pontifex & sacerdos in ara
crucis, aurcum illud suum CONSUMMATVM,
breuiter percurremus.

Hic

P A N E G Y R I S

Hic uerò horribilis clades, ceu coetera nusquam
 Lucta foret : toto fuerit nil passus in orbe :
 Sic martem indomitum, furiasq; ex urbe ruentes
 Cernimus, obsessumq; armis fulgentibus hortum.

Diei fa= O noctem illam horrendam, & omnium quam
 talis præ Saluator in hoc mundo habuit, inauspicatissimam,
 sagia, no= & infestissimam. Credibile est, noctem illam non
 etis ex= solum profundis & densis tenebris feralem & fu=
 tremæ nestam fuisse: ipsa etiam nitente luna rutilum ob=
 tumul= tegente uultum, & reliquis siderum luminibus, &
 tus, con= nocturnis ignibus moerentibus : & in profundum
 filia, cur= soporem & caliginem mersis: quod adductæ lam=
 sitatio= pades confirmant, unumq; ex omnibus animanti=
 nes & bus bubonem ignauum, dirum mortalibus omen,
 collusio= desolatis oliueti rupibus & speluncis uigilem in
 nes clan= statione noctis seruasse custodiam, creatori sui
 destinæ, mortem mœsta ac lugubri uoce, & ferali cantu
 Christi sepe ingemuisse, gentisq; obstinatæ deplorasse cœ=
 et in hor= citatem, coeteris animantibus & uolucris alto
 to op= silentio sopitis : Sed & ipsas cohortes, & omnes
 pressio, omnium diabolorum legiones, quot quot in infimis
 Erebi claustris, & profundo Ditis barathro, hor=
 rendo tenebrarum regno, stabulantur: habitis du=
 dum super hac re centuriatis comitijs, uno impetu,
 tanquam ad ultimum regni sui subsidium & de=
 fensionem. NE QUID DETRIMENTI
 caperet

SCHOLASTICA.

CAPERET INFERNALIS RESPVB. à tene-
brarum principe & imperatore magno, militari
sacramento euocatos, simul & semel euolasse, toto
interim Ditis regno imperioq; & amplissima au-
la uasta intus & deserta; pauca inquilinorum ma-
nu relicta & furum manipulo, qui atrium hoc ar-
mati, paulò post spoliandum & diripiendum cu-
stodiant. Hi omnes mutuis auxilijs, & succentur-
riatis copijs, primum uelut instructa acie, & glo-
merata phalange, longè lateq; urbem sanctam in
circuitu per aliquot milliaria obsidere: mox inter
se partiri militaria officia: tribunorum & centu-
rionum ferocissimi & callidissimi quiq; summa ce-
leritate in urbem contendere: forum, uicos, uias pub-
licas obsidere: curiam pontificialem cum palatio
presidis obtinere: ceteri pontificis aulã inuadere:
Singuli deinde cum manipularibus & gregarijs
adhibitis totam urbem iumultibus clamoribusq;
implere: principes sacerdotum cum uniuersa mul-
titudine concitare: ad arma conclamare: ferrum,
faces, tela, enses, ignes, contos, cuspides obijcere:
inde è specula templi & Meniano summi Pontifi-
cis horribili classico dato: inflato cornu Erebi, in-
star turbinis uel qua data porta, ruere ex urbe con-
globatim & eaturatim: collocato principe quo-
dam antesignano & signifero in prima acie, qui
proditorem regeret, indeq; intempesta nocte ad
C olinetè

P A N E G Y R I S

olueti montem summa c. leritate & taciturnitate contendere.

Ad quorum faces, enses, & copias militari acie instructas quid magister ille optimus cum inermi undecim aut trium saltem discipulorum manu quid quaeso quid agit? Velut agnus ad occisorem suum procurrit. Bellum illi apportant: hic pacem uult. Illi animam illius quaerunt, ut occidant: hic animas eorum quaerit, ut saluet, ut eripiat. Illi ueniunt ut dispergant: hic ut colligat, illi ut iugulent: hic ut animam suam pastor optimus ponat pro ouibus suis. Etsi igitur diuina uirtute et robore fretus nulla armorum ui uel strepitu adhibito, unica saltem uocula instar stipitum & ponderosorum roborum, quae uentorum turbine deiciuntur, ad terram prostratos, nuda nominis sui professione pessundare & perimere potuisset: Tamen ut Captiuus ostenderet, se ad mortem nunc obedire aeterno patris sponsione spontri suo, nec coactus sed spontanea uoluntate se offerre uictimam pro salute nostra erectis iterum impedes, & ad se uentre iussu hostibus, cum a discipulis uim & manum prohibuisset, & in libertatem eos asseruisset, oblata pro ditori maxilla (o osculum sceleratum & nefarium) osculo praceptor a discipulo: dominus a seruo: pater a filio (infandum) proditur, & triginta argenteis mercede iniquitatis detestabili uenditur.

Vinctus

S C H O L A S T I C A.

Vinctus igitur peccatorum pollutis manibus, In atrio
 eum sponte et uoluntarie se ligandum illis obtulit = pontificis
 set, ut illi catenis & uinculis inferorum eximeren- gesta, &
 tur, ex hortu captiuus deducitur in urbem ad Hann series ac-
 nam: ab Hanna ad Caipham: ubi congregatis re- cusatio-
 liquis sacerdotibus, cum interrogatus à pontifice num-
 de sua doctrina & discipulorum secta, doctrinam
 ut ministerij uocem publicam defenderet, et ad te-
 stimonium auditorum, uiuam ecclesiae uocem pro-
 uocaret: a lapa primium percussus à gnathone pon-
 tificio: mox ante repetitum galli cantum, terna
 negatione à Petro, euentum huius tragœdiae inspe-
 cturo abnegatur: addita horribili execratione &
 deieratione, se quidem hunc hominem toto uita suæ
 tempore ne quidem oculis aut aspectu cognouisse
 unquam: qui quidem lapsus horrendus & Petro
 predictus fuit antea, & risipiscenti et amarè post-
 moaum super eo flenti, à domino facile cõdonatus.

Accusatus deinde à falsis testibus, & adiuratus
 à summo pontifice, utrum DEI filius esset, cum id
 uenturi iudicij asseueratione & sessione ad dextram
 patris aperte contestatum reliquisset: à pontificem
 blasphemiae: ab assidente uero sacerdotum collegio
 mortis reus pronunciat, & uno omnium ore cõ-
 demnatur. mox illuditur ab ijs, à quibus teneba-
 tur, expuitur & colapbis ceditur. A seruulorum

P A N E G Y R I S

etiam grege et furū manipulo facie uelatur, et cēphis percussus auctore plaga diuinare iubetur, grauis-
simisq; sannis, sarcasmis, conuitijs & contumelijs
per totam hanc noctem in domo pontificis, ad ori-
entis usq; diei lucem crudelissimè proscinditur. So-
le iam oriente & terras illustrante secundo duci-
tur in confessum Synedrj magni ad tribunal &
cathedram summi pontificis, & damnatur here-
tica prauitatis, mortis & blasphemia, quod se
CHRISTVM filium DEI contestatus esset.

Condemnatus igitur ab ecclesiastico iudicio
In præ- & toto pontificum collegio deducitur uinctus ab
torio seu uniuersa multitudine iam surgente, ex aede ponti-
palatio ficia ad PONTIVM Pilatum, præsidem Ro-
magna manum, in prætorium palatij magni & curiam
curiæ re- regiam, traditurq; brachio seculari, ut de eo sup-
g. e. plicium capitis sumeretur. Quod uidens IVAS
pœnitentia ductus, & furijs male conscientia sti-
mulatus, proiectis triginta argenteis in sacrarium
templi, uitam laqueo sibi elidit, suspensusq; crepu-
it medius, effusis in terram uisceribus, scelera-
tamq; per intestinorum sedem effudit animam.

Accusatus deinde à senioribus coram præsi-
de Romano de duobus potissimum criminibus:
perduellione, quod per imposturam facta sedi ione
docendo gentem seduxerit, censum cesari eripue-
rit

SCHOLASTICA

igitur blasphemia, quod filium DEI se dixerit, cum
 nihil horum instituta questione à Pilato in ipso
 deprehensum esset: mentione Galilææ facta, mit-
 titur à Pilato cum lictoribus ad Herodem, ut su-
 per eadem causa in eius aula cogitosceretur. Sed
 cum nihil hinc ad interrogata respondisset: illusus
 ab Herode & Satrapis eius, ueste albicante in si-
 gnum indemnitate & incognitæ causæ ad præto-
 rium remittitur.

Conuocatis igitur sacrificulis & uniuerso sa-
 cerdotum collegio plebisq; capitibus, cum à Pilato
 & Herode nihil obiecti criminis in eo deprehen-
 sum, aut per attestaciones solennes demonstratum
 esset, & pro more fæti ex captiuis aliquis dimittē-
 dus esset: ab uniuersa multitudine factis sacerdotū
 et seniorum syncretismo, uno ore ad supplicium ca-
 ptis postulatur, Barraba insigni & famoso latron-
 ne, ad uota plebis absoluendo. Quo populi & sa-
 cerdotum clamore inualescente, iterum à Pilato
 apprehensus, quò facilius absolueretur in gratiam
 plebis & cleri furentis flagellatur, abreptusq; à
 militibus in arrium, conuocata cohorte prætoris,
 crudelissimè illuditur, indutus primum chlamide
 coccinea seu purpura regia: mox rhamno corona-
 tus: inde arundine in dextram porrocta, flexis ge-
 nibus adoratur, addito crudelissimo sarcasmo:
AVEREX IVDÆORVM. Inde alapis cedit

P A N E G Y R I S

ur, in faciem conspuitur, percutitur baculo
arundine: longæ ambages, iniuria longa.

Indulge clementer ô fili DEI, & propitius
ignosce Saluator optime. si in te pro me facta ludi-
bria, non exacte ut sunt acta singula commemo-
rem.

Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum:
Ferreæ uox: uel Mæoniæ facundia linguæ:
Singula complecti nedum comprehendere possim.
Nam neq; sannarum species, aut nomina quot sint
Est numerus: neq; enim numero cõprehendere possũ.

Inde foràs productus corona spinea & pallio
purpurato, ut ipsius innocentia omni populo inno-
tesceret, furorq; sacerdotum facilius mutesceret,
cum hac lamentabili iudicis uoce & commiserati-
one: ECCE HOMO: cum à pontificibus & p
bus ad crucis patibulum posceretur, quod se filium
Dei dixisset iterum à Pilato, incussa religione, me-
tuq; & obseruantia numinis in prætorium redu-
citur, & questione de ipsius natalibus instituta,
et si ipsius iudicis & præsidis testimonio se penus-
mero innocens prædicaretur: quia tamen cæsaris
metu & inclementia grauitèr ille urgebatur, ite-
rum abreptus foràs ante tribunal uniuersa iam
plebe tumultuante & conclamante, frustra q; om-
nibus albi calculi remedijs adhibitis: ablutis aqua
manibus,

SCHOLASTICA.

manibus, in signum innocentiae iudicis simul et rei,
Barrabaq; seditioso & nefario latrone & sicario
dimisso, ad populi uota & arbitrium traditur ho-
stium furori & potestati crucifigendus.

Exutus igitur purpura regali, suisq; uicissim
uestibus induitus, abripitur à tribunali ueluti la-
tro, cum duobus facinorosis ad supplicium, extraq;
ciuitatem & castra populi ceu catara tractus edu-
citur, imposita in ipsius humeris grandi trabe, qua
suspenderetur: densa à tergo sequente multitudi-
ne, & frequente populi mulierumq; manu misera-
bilem ipsius interitum cum fletu & lacrymis pro-
sequentium, quas ille intuitus, & filiarum nomine
perbenigne compellans, non se sed suam & libero-
rum suorum uicem deslere iubet. Etenim si hoc in
uiridi ligno: in arido quid futurum existiment?
Latus ad locum supplicij, qui à caluarijs & cra-
nijs hominum, appellatione hebraica GOLGATHAE
nomen sortitus erat, quod primi hominis
Ade caluaria ibi reperta, & reliquiae illic condi-
te serantur, Eusebij & Epiphaniij narrationibus
& 10 15 20 25 30 35 40 45 50 55 60 65 70 75 80 85 90 95
potatur aceto seu uino myrrhato, ad-
mixto felle. Inde medius inter duos latrones genti-
li more cruci affigitur manibus pedibusq; clauis
ferreis adactus: stipite in auras superius erecto, in-
ferius terris 10 15 20 25 30 35 40 45 50 55 60 65 70 75 80 85 90 95
Supplicijq; trilingui, super uerticem eius his uer-
bis:

Christi
condem-
natio &
eductio
extra
urbem in
locum
caluariæ.

Crucifi-
xio Chri-
sti.

C 4

Iesus

P A N E G Y R I S

IESVS NAZARENVS REX IVDÆO-
RVM, neue cruce auellere tur, à militibus custodi-
tur: quodq; dictu & auditu horrendum est, plus
iam satis afflictu & calamitoso, calamitas & af-
flictio superadditur. Nam scommatis & conuitijs
horrendis in cruce proscinditur à prætereuntia-
bus scribis & sacerdotibus: concussis capitibus:
exertis & uibratis in eum linguis: crispato naso:
& additis horrendis contumelijs & sarcasms:
Vah qui destruis templum DEI. Si filius DEI es:
Si rex Israël, descende de cruce, saluum fac teip-
sam: Vt mirum non fuerit, si quemadmodum pris-
cis illis temporibus terra os suum aperuit, et blas-
phemas & seditiosas illas furias cum uxoribus ac
liberis uiuas cum tabernaculis & uniuersa eorum
substantia deuorauit, uiui in infernum descende-
runt, & sublatis è medio miserè perierint.

Is. 53. 1

Quis crudeliorem unquam uel uidit, uel le-
git, uel audiuit de perditissimo & facinorosissimo
quoq; latrone tragoediam aut historiam? Verè
hic cum Propheta exclamare libet: Quis credi-
dit auditui nostro? aut brachium domini cui res
uelatum est? Non est species in eo, neq; decor. Vi-
dimus eum, sed non erat aspectus, quem desidera-
remus: Despectum & nouissimum uirorum, VI-
RVM DOLORVM, & scientem infirmitatem.

Sic

SCHOLASTICA.

Sic abhorruimus eum, ut uultum absconderemus ab eo, ideoq; nihili fecimus eum. Sed habuimus illum tanquam catharma, excommunicatum, & in plagam coniectum à DEO, & in afflictionem.

Etsi igitur nulla mentes humanas de tam atroci supplicio subit miseratio: Tamen & coelum & terra, adeoq; tota rerum natura non solum contristata & in luctum, mœroremque conuersa est, sed & præter naturæ seriem & ordinem uolentam & horribilem sensit cursus sui, & ἀλλοίωσις, sole in horribiles tenebras conuerso:

Portenta
& prodigia in
morte
Christi.

De hac eclipsi solis Phlegon Græcus autor, et olympiadum egregius supputator libr 14. ii. reliquit: Quarto autem anno 102. olympiadis magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem uersus, ut stellæ cœlo uisæ sint, terræq; motus in Bithynia Nicenæ urbis multas aedes subuerterit. Eusebij chronologia.

Nam caput obscura nitidum ferrugine textit, Impiaq; æternam metuerunt secula noctem.

Commota est terra insolitis motibus: rupes et petreæ scissæ sunt: ruptum templi uelum: aperta monumenta: et simulacra modis pallentia miris uisa sub obscurum noctis. Sanctorum corpora, qui dormierunt, consurrexerunt & apparuerunt multis in urbe sancta:

C S tamq;

P A N E G Y R I S

tamq; horribilis et luctuosus fuit totius mundi status, ut diem similem nulla unquam priscis temporibus, superior aetas uiderit: ipsis Ethnicorum sacerdotibus, Philosophis & Astrologis in stuporem super hoc portenso solis defectu conuersis.

In his igitur horrendis tenebris, uniuersum orbem terrarum contegentibus, filius DEI medius pependit in cruce, inter coelum et terram, per tres horas integras à DEO & hominibus, omnibusq; creaturis desertus, factus κατ' ἄρα & maledictio pro genere humano: ubi cum iam essent consummata omnia, & animam eterno patri commendasset, finito heptalogi sermone, sumtoq; aceto, uoce magna, inclinato capite tradidit spiritum.

Causæ O horribilem & immensam uim & magnitudinem iræ diuinæ aduersus peccata mundi, quod efficien-
tes: Dei propter aliena peccata, proprio non parcit filii, sed ad mortem & crucis supplicium persequitur,
iustitia & omnium crudelissimo & horribilissimo letho
tempe- percutit. O hostium immanem, efferam & plus
rata cum quam Scythicam et barbaricam feritatem & cru-
miseri- delitatem in excogitandis, aggrauandis, exaspe-
cordia. randisq; omnium tormentorum & plagarum ge-
Instru- neribus, & cruciatibus exquisitis & horrendis,
mentales quibus non solum uiuum in cruce: sed & mortuum
& orga- in sepulcro, & nunc in gloria constitutum ad de-
na. De xteram patris maiestatis dominum sine fine per-
sequun-

SCHOLASTICA.

sequuntur: ut non uoluntas, non studium: sed mo- utrisq;
 dus, sed ingenium, sed uires et tormenta deficient. supra
 Ecce enim hic hominem uerè in plagis existentem prolixè.
 & inhonoratum, ut habent septuaginta, in quo Subie-
 nulla amplius species, nulla pulcritudo, nulla for- etum seu
 ma, nullum decus, nullus aspectus inuenitur: sed materia
 qui quantus quantus est, nihil est nisi plaga, nisi in qua
 liuor, nisi sanies, nisi afflictio, & ignominia, SALU-
 ξία, κώλωψ, unum deniq; toto corpore uulnus: su-
 gillatio, ὄγκωσις, σωμαός, ἐκχύμωσις contusio
 & collisio: utq; uno Esaie uerbo omnia comple-
 ctar, VIR DOLORVM, ut non frustra omnium
 hominum facies à se auersas conqueratur.

Ecce enim hic totum domini corpus omnibus
 non modo spoliatum & nudatum uestibus: sed & Diacope
 aëris, coeli, uentorum, tempestatum q; iniurijs & plaga-
 hominum contumelijs & opprobrijs exposi- rum in
 ut nullum ferè membrum sit, quod non singulari corpore
 aliqua plaga & ignominia, & exquisito supplicij Christi.
 genere afflictum conspiciatur?

Ecce hic sanctissimum ipsius caput cruentis & Caputo
 acutis rhamni spinis & aruleis coronatum pung-
 tur & drundim Facies.
 editur. Sanctissima illius facies,
 ex qua non humana quædam species aut mortalis
 bonor, sed diuinum & cæleste quoddam numen
 radiabat,

P A N E G Y R I S

radiabat, foedissimo um hominum sputis turpissimè
 me foedatur & conspurcatur. **Genæ.** illæ sanctæ
 quæ in ætate florida uernanti rubebant uerecun-
 dia, alapis percutiuntur. **Os.** illud beatum & ε
 λόγιμα, ex quo diuina eloquentia, & coelesti ne-
 ctare & ambrosia scatens in d'cendo melle dolci-
 or fluebat non oratio, sed ipsa hygiea, ipsa uita,
 ipsa salus: totum colaphis tuber est. **Oculi.** ex qui-
 bus non humana, sed diuina & coelestis quedam
 gratia & beneuolentia in omnes elucebat morta-
 les, & quibus ille afflictissimos quosq;, & despe-
 ratos hominum morbos, perbenignè aspicere &
 intueri solebat, nuperq; urbis huius splendidissima
 marmora, nobilissimam templi structuram, clas-
 rissimum mundi miraculum, augustissimas ciuium
 edes & ædificiorum magnificentiam ex oliueti
 collibus, inter gratulantium acclamaciones *su-*
 stas, contemplatus erat commiserans & ingemise-
 cen, largoq; humectans lumina fletu: plagis cru-
 entis & sugillatis suffusionibus fracti, conclusi, &
 extincti conspiciuntur. **Aures.** quæ omnium pau-
 perum & afflictorum hominum clamoribus pate-
 bant, miserè uellicuntur. **Brachia.** utraq; quibus
 ille allatos ad se in ultimo itinere infantes cupi-
 dissimè ulnis suis exceperat, in *ligno* crucis luxan-
 tur, & in auras expanduntur. **Manus.** illæ sanctis-
 simæ, quas decumbentibus & infirmis cum præ-
 senti

SCHOLASTICA

Propter salutem, & singulari remedio, imposuit, uim-
 clis primum immanissimis saeuissime ligantur, mox
 clavis ferreis crudelissime perforantur. Cor illius
 sanctissimum, quod scilicet & paterna sollicitudi-
 ne in omnes homines extendebat, totumque in homi-
 num salutem effusum erat, laboribus & doloribus
 plane exhaustum extinguitur. Pectus ad quod di-
 lectus ille iuuenis in ultima coena recubuit, lancea
 perfoditur. Humeri stipite ponderoso & trabe
 patibuli duriter comprimuntur. Lumbi corporis
 mole ita distenduntur, ut omnia ossa, omnes costa-
 rum series dinumerentur. Genua quae pro homi-
 num salute, & ultimo in monte oliueti, pavemento
 terrae, per multa horarum spatia, pro salute no-
 stra precibus fundendis affixa fuerunt, conuulsa
 contorquentur. Crura rigent. Pedes contorti
 & nexique terabruntur & perfodiuntur, clauo fer-
 reo compacti. Totum denique corpus plagis cruen-
 tum, uerberibus tumidum, flagellis ruptum, uibici-
 bus liuidum, dolore afflictum, supplicij laceratum
 & deformatum, hominum sceleratissimorum con-
 tumelij & opprobrij exponitur.

Cor.

Pectus.

Humeri.

Genua.

Crura.

Pedes.

Corpus.

O filij DEI amorem ineffabilem: o caritatem impulsa-
 inestimabilem - o humilitatem admirandam & ua inte-
 stupendam, & ipsis etiam angelis incomprehensi- rior in fi-
 bilem. Quis unquam tanta dilectione hostes suos lio Dei,
 complexus

P A N E G Y R I S

de qua complexus est? quis tanto amoris incendio flagrans,
 infra uadit, ut dilectissimam animam suam, non pro
 dam. amicis tantum sed & pro hostibus poneret? Ecce
 hic pastor ille bonus, qui dedit animam suam pro
 ouibus suis, pro quibus mori dignatus est. Ecce hic
 AGVS ille DEI, qui tollit peccata mundi. Non
 enim hic propria sed aliena, sed mea, sed tua &
 totius generis humani peccata luit. Hic cum ini-
 Augusti- quus peccauerit, iustus punitur: reus deliquit, &
 ntis in ecce uapulat innocens: impius offendit, & damna-
 meditat. tur iustus: quod meruit malus, patitur bonus: quod
 C. 7. perpetravit seruus exoluit dominus: quod commi-
 sit homo, sustinet DEVS. O mirabilem censuræ
 Impulsi- diuinæ conditionem, & ineffabilem huius myste-
 ua exte- rij dispositionem. Nos horum dolorum plaga su-
 rior seu mus: nos occasio huius damnationis: causa mortis:
 πρῶτον = culpa occisionis: meritum huius supplicij: uindictæ
 Τῶν κτηνῶν. flagitium sumus. Nos iniquè fecimus, & ille pœna
 mulctatur: nos scelus amissimus, ille ultione ple-
 etitur: nos flagitiosi fuimus. ille torture subijcitur:
 nos superbiuimus, ille humiliatur: nos intumuimus,
 ille atenuatur: nos gulæ indulsimus, ille inedia af-
 fligitur. Nos damnata concupiscentia seduxit ad
 arborem, hunc caritas perfecta euexit ad crucem:
 nos uoluptatibus immergimur, ille cruci affigitur:
 delitijs fruimur, ille clauis laceratur: nos pomi
 dulcedi-

SCHOLASTICA.

Dulcedine pasti, ille fellis amaritudine potatus.
 Quò quò nate DEI, quò tua descendit humilitas?
 quò tua deflagrauit caritas? quò processit pietas?
 quò excreuit benignitas? quò tuus euasit amor?
 quò tanta peruenit conpassio? Verè hic zelus
 domus tue comedit te: uerè hic de te triumphum
 duxit amor, & iaculis suis igneis uulnerauit te
 non fictus ille Poëtarum commentitiusq; Cupido,
 sed tuus ille purissimus & perfectissimus ignis &
 ardor, quo erga sponsam tuam desiderio igneo ac-
 census es. Hic uerè locum habet diuini illius Poë-
 ta imo spiritus domini mysticum poëma, & can-
 ticorum canticum, quo in die desponsationis tue,
 & in die letitiæ cordis tui exclamasti: Vadam
 ad montem myrrhae, & ad collem thuris. Vul= Cantico
 nerasti cor meum soror mea sponsa, uulnerasti cor rum cap.
 meum, & in uno oculorum tuorum, & in uno cri= 4. Ver.
 ne colli tui. 6.
 9.

Huc me sidereo descendere fecit olympo,

Hic me crudeli uulnere fixit amor.

Languedo, nec quicquam nostro succurrit amori:

Fortis amor docuit uulnera tanta pati.

Ioan. Ne-
 uizani l.
 C. Asten-
 sis sylua

P A N E G Y R I U

nuptialis
ib. 4.

Is me de spinis fecit gestare coronam,
Pectus ut lauriret lancea, fecit amor.
Felle sitim magni regis satiauit amaro:
Ille pedes clavis fixit & ille manus.
De me solus amor potuit duxisse triumphum,
Solut amor docuit uulnera tanta pati.
Ergo pro meritis animi mihi pendere grati
Dilige : pro tantis sat mihi solus amor.

Fines &
effectus
passionis
Christi
cum ex-
positione
typorum
Gene. 22.

Gen. 49

Exod 25
26.

Exod. 12.

Ecce igitur hic semen illud benedictum mulie-
ris, primis parentibus in Paradiso promissum, in
quo benedictio ad omnes tribus terrae peruenit:
quod caput serpentis conculcauit: destruxit regnum
diaboli: reconciliauit homines cum DEO libera-
uit nos à peccato, à morte, à tyrannide diaboli, &
æterna damnatione. Hic obediens ille patri ad
mortem unigenitus filius, MORIAM monte, as-
cendens, humeris suis portans lignum, ad incen-
dendum corporis sui sacrificium. Hic ille SILOH
gentium expectatio, lauans in uino stolam suam,
& in sanguine uuae pallium suum. Hic ΙΛΑΣΙΕΙΟΝ
& propitiatorium: aureum illud Caporeth, Israë-
li in fœdus erectum, in cuius sanguine parata co-
piosa redemptio, & in quo pulsantibus patet ac-
cessus, cum fiducia per fidem in sanguine illius.
Hic illud phase domini, agnus iue DEI, ab initio
mundi occisus, tollens peccata mundi, cuius san-
guine

SCHOLASTICA.

quine conspersi superliminaribus cordium & ani-
 marum nostrarum tuti seruemur à percussore
 transeunte: cuius pelle primi parentes tecti contra
 nuditatem suam inuolucro sanctissimæ illius hu-
 manitatis, securi nunc cum posteritate credente,
 tanquam sub umbra latent, contra diuini iudicij
 æstum & furoris incendium. Hic summus ille
 pontifex & sacerdos in æternum, secundum ordi-
 nem Melchisedech: rex pacis, μήτε ἀρχιερεὺς
 ἦν, μήτε ζωὴς τελεῖται ἐχὼν, ἀκακίαν, ἀμίαν-
 ταν, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν,
 καὶ ὑπερότερον τῶν θανάτων γενόμενον:
 portans iniquitates populi, ut de Aarone legimus,
 qui non habuit necessitatem, quemadmodum sacer-
 dotes ueteris testamenti, pro suis delictis offeren-
 di: sed qui semetipsum semel obtulit in ara crucis
 et pro patri, in sancta sanctorum ingressus: &
 per semetipsum accedens ad DEVM, ad interpel-
 landum pro genere humano: non per sanguinem
 hircorum aut uitulorum, sed per proprium san-
 guinem αἰωνίαν λύτρωσιν ἐυρόμενον, qui una
 oblatione consummavit in æternum sanctificatos.
 Ecce hic aries ille ἀποστασιαῖον, sorte ele-
 ctus è toto grege, & constitutus à DEO, ut expia-
 ret peccata populi: qui receptis in se omnibus ma-
 ledictionibus & imprecationibus legis diuinæ, por-
 tauit iniquitates nostras extra castra in deserta
 D tum,

Gene. 14.

Psal. 110.

Ebræ. 9.

Leuit. 16.

lie-
 , in
 nit:
 um
 ras
 , &
 i ad
 s-
 cen-
 OH
 am,
 eior
 raë-
 com
 ac-
 lius.
 nitio
 san-
 ime

P A N E G Y R I S

tum, & in terram solitariam, de uiuorum regio-
 ne in sepulcrum. Hic περιφρημα γ' υδρ ημων, κα-
 θασμα & καδ' ας α, anathema, αποτοσο αϊδ',
 αλεξιμακ' & αλεξιτιριο, & amuletum no-
 Num. 21. strum. Hic aeneus ille serpens, a Mose exaltatus in
 Hierony= deserto: Pelicanus ille Aegyptius, qui a serpente
 mus epi= diabolo pullos suos occisos inueniens, tri uum eos
 stola 32. luget in sepulcro, & uulnerum suorum sanguine
 aspersos tertio die in uitam reuocat. Hic ille uictor
 Gen. 49. Leo de tribu I V D A, & lupus rapax Benjamin,
 mane praedam comedens & uespere spolia diui-
 I. Samue. dens. Hic Bethlehemites ille paruulus, qui funda
 7. crucis suae Goliadam Philistaeum, Giganteo robore
 tumidum & ferocientem, tyrannum & Platonem
 infernalem prostermit, & proprio conficit gladio.
 Iud. 16. Hic ille robustissimus Samson, qui sepulcro & mae-
 nibus inferorum inclusus, portas inferni cum he-
 ctibus asportat, toto regno diaboli destructo, exuta
 illius armatura, & tenebrarum catenis ligato in-
 ferorum principe. Hic ille Ionas Gathites, sorte
 Iona 2. electus, & in profundum mare abiectus, deuora-
 Matt. 16. tus a balena abyssi infernalis, ut horribilis illa
 tempestas furoris domini, fluctusq; indignationum
 eius, & aestus indomiti comprimerentur, & seda-
 to mari, noua toto coelo induceretur serenitas.
 Huius igitur uictimae cruore placata est ira aeter-
 ni patris: peccatum abolitum: morti ereptus acu-
 lens

SCHOLASTICA.

Deus: sublata tyrannis diaboli: abluta peccatorum
 nostrorum sordes: reconciliatio nobis facta cum
 Deo: paratus ad Deum accessus: paraletus spiri-
 tus promissus: destructum regnum diaboli: mors
 absorpta per uictoriam: ingressus paradisi aper-
 tus, coelum cum terra reconciliatum, misericordia
 & ueritas obuiam sibi factae, iustitia & pax se
 mutuo exosculatae, ueritas de terra exorta, iustitia
 de caelo prospecta, gloria DEO parta in excelsis,
 pax in terris facta, hominibus eud' oruæ & bene-
 placitum aeternum relictum.

Usus &
 applica-
 tio cum
 exhorta-
 tione ad
 sacrifici-
 um Chri-
 sti fide
 ample-
 ctendum,
 & seri-
 am agen-
 dam pœ-
 nitenti-
 am.
 Ebræ. 9.
 & 10.

Intueamur igitur ô homines Christiani, intue-
 amur hoc horribile monumentum iræ diuinæ, &
 spectaculum mortis & supplicij CHRISTI cru-
 delissimum: Videamus hic in quem transfixerint:
 perpendamus atrocitatem & magnitudinem pec-
 cati, quod oblatione nulla alia deleri & expiari
 potuit, quàm propitiatorio filij DEI sanguine. Ha-
 bentesq; fiduciam & potestatem ingrediendi in
 sanctuarium in sanguine CHRISTI EA VIA,
 QVAM NOVAM IPSE & uiuentem
 initiavit nobis PER VELVM carnis suæ, nactiq;
 sacerdotem hunc magnum, accedamus cum uero
 corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscien-
 tia mala, & abluti aqua munda in sanguine eius,
 teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem

P A N E G Y R I S

(delis enim qui promisit) considerantes inuicem in
 prouocationem caritatis, & bonorum operum :
 quanto precio, quantoq; supplicio, & quanta ob=
 latione redempti simus, de uana conuersatione no=
 stra: non corruptibilibus auro uel argento: sed pre=
 tioso sanguine immaculati & incontaminati agni
 DEI: nec deseramus sanctam hanc uocationem &
 aggregationem nostram, ut quidam faciunt, bla=
 sphemantes & annihilantes hanc $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omega\sigma\iota\upsilon$, &
 ingrati in sacrificium & testamentum filij DEI,
 nouam ex semetipsis sine uerbo & mandato DEI
 uiam instituentes ad DEVM in sanctum sancto=
 rum ingrediendi, non in hoc solo consummato sa=
 crificio filij DEI, in cruce oblato: sed in commen=
 titijs & uanis oblationibus humanarum adiuuenti=
 onum: quales sunt uigiliae, missae uotinae idolatricae,
 bullae pontificiae, nundinationes indulgentiarum,
 aquae benedictae, consecrationes creaturarum, iu=
 bileorum abbreviationes & celebrationes, gratiae
 expectatiuae, sexcentaeq; fraudes aliae, solius auri
 gratia extorquendi sub religionis specie astu exco=
 gitatae: tum insuper non in unius filij DEI, sed ali=
 orum etiam sanctorum intercessione, meritis, &
 suffragijs, quos in contumeliam huius summi sa=
 cerdotis nostri mediatores apud DEVM consti=
 tuunt, cum non sit aliud nomen sub caelo datum
 hominibus, in quo saluari nos oporteat, quam no=
 men

Pugnan=
 tia cum
 hoc sa=
 crificio
 propitia=
 torio
 Christi.

Acto. 5.

men

SCHOLASTICA

men IESV CHRISTI. Hic enim solus sum-
 mus pontifex coelestium bonorum, per maius &
 perfectius tabernaculum ueniens, non per structu-
 ram manu factam, aut per sanguinem hircorum
 aut uitulorum, aut sacrificia creaturarum, salis,
 cinerum, panis, &c. sed per proprium sanguinem
 semel ingressus est in ipsum coelum, aeterna nobis
 redemptione inuenta, ut nunc perpetuo ibi appa-
 reat in conspectu DEI, pro nobis intercedens: tan-
 to praestantior & melior omnibus pontificibus &
 intercessoribus sanctis, imò ipsis etiam angelis,
 quanto excellentius praë illis munus & sacrifici-
 um obtulit, nomenq; hereditauit. Cur enim non
 sanguis IESV CHRISTI, qui per Spiritum
 sanctum semetipsum obtulit DEO inculpata
 hostiam, melius emundet conscientias nostras, ab
 operibus mortuis ad seruiendum DEO uiuo, plus
 quam haec omnes commenticia & idolatrice obla-
 tiones creaturarum? Cur non ergò intrepidè &
 securè nitimur in hac perfectissima oblatione &
 obedientia, qua summus pontifex noster IESVS
 CHRISTVS una hostia expiauit omnia pecca-
 ta nostra in cruce, & semel in aeternum consecra-
 uit sanctificandos? Cur non hac inculpata hostia,
 & CONSUMMATO SACRIFICIO contenti,
 nosmetipsos in omnibus pauoribus conscientiae con-
 solamur hac Spiritus sancti uoce & testimonio:

P A N E G Y R I S

Jeremta Hoc est foedus meum, quod paciscar cum illis post
31. 33. dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in corda
Ebra. 10 eorum, & eorum mentibus inscribam: & peccato-
5. rum et iniquitatum ipsorum non recordabor am-
 plius. Quod si ergo remissio peccatorum est in
 hoc solo sacrificio filij DEI, ad quid alia opus est
 oblatione pro peccatis? Cur non ergo abstinemus
 ab his oblationibus idolatricis & blasphemis in
 sacrificium filij Dei, ad quid alia opus est oblatio-
 ne pro peccatis? Cur non ergo abstinemus ab his
 oblationibus idolatricis & blasphemis in sacrifici-
 um filij Dei? Et exhortamur nosmetipsos à uijs ma-
 lis idolatrie, blasphemiae, & cultibus idolorum:
 idq; tantò maturius & celerius, quantò propius
 instare uidemus diem iusti iudicij & retributionis
 impiorum? Si enim obstinati in his manifestis su-
 perstitionibus perseuerauerimus, & post acce-
 ptam ueritatis agnitionem contra spiritum san-
 ctum et conscientiae nostrae testimonium in his im-
 pietatibus furenter ad finem perrexerimus, quae
 repudiato hoc Christi merito pro peccatis nostris
 hostia erit reliqua? quae uictima? quod sacrificium?
 An non horrenda & terribilis expectatio iudicij,
 & iusta indignatio ignis, quae consumtura est ho-
Deut. 16. stes & aduersarios Christi? Atqui si blasphema
6. & 19. legis Mosaicae uel irrisio, uel adulteratio uel anni-
15. hilatio sine ulla commiseratione duorum aut trium
 hominum

SCHOLASTICA.

hominum testimonio morte puniebatur: quanto pu-
 temus acerbiorē supplicio dignus enseat, qui
 tot ueritatis testibus, proprioq; conuictus testimo-
 nio in tam manifesta luce Euangelij, cauterisata
 conscientia, et zelo non legitimo in causa male de-
 fensa ut unius hominis Antichristi et filij perditio-
 nis potestatem, auctoritatem & tyrannidem in
 ecclesia retineat, stabiliat, tueatur: modo ille in tem-
 pla Dei sedeat, qui aduersatur & extollitur supra
 omne, quod dicitur Deus, & se tanquam Deum
 ostendat, Deum ipsum & filium Dei non dubitet
 pedibus conculcare? quiq; sanguinem foederis, per
 quod fuerat sanctificatus, nouo sacrificiorum com-
 mento approbato, profanum dixerit? qui uidens
 audiens sciens uolens testamentum Christi aduile-
 rauerit? qui spiritum gratiae contumelia affecerit?
 qui propitiatoris Christi sacrificio, meritorium
 contumeliosumq; hominis sacrificium opposuerit?
 Nouimus eum qui dixit: Mihi uindicta, et ego retri-
 buam. Et iterum: Dominus iudicabit populum su-
 um. Horrendū est incidere in manus Dei uiuentis.

2. Thess.
2.

Quid o homines in illo horrendo & metu- Quo ore
 do iudicij die respondebimus, cum t. emente mun- allocutu-
 do, praecinentibus angelorum buccinis, in illo maie rus sit fia
 statis suae trono, circūdatus caelestis militiae luce cō lius Dei
 sederit, ibiq; de terrae gremio, et antiquo puluere sus in extrea
 citato genere humano, a stāte testimonio cōscientiae mo iudica

D 4 singulorum,

P A N E G Y R I S

cio lytri singularum, positus in conspectu peccatorum pœ-
 & sacri nis, & iustorum præmijs, rationem dispensationis
 ficij sui mysteriorum suorum, & totius uitæ nostræ postu-
 propitia- lauerit, & iam plus iustus quàm misericors, pro-
 torij cono fanati & adulterati testamenti, conculcati sacri-
 tempto- ficij & oblationis suæ nos cœperit accusare in
 res & hunc modum: Ego te ô homo de limo terræ mani-
 adulte- bus meis feci: ego terrenis artibus infudi spiritum:
 radores ego imaginem ac similitudinem nostram tibi con-
 Ex Au- ferre dignatus sum: in paradysum uoluptatis te
 gustini collocaui. Tu uitalia mandata contemnens, dece-
 sermoni- ptorem sequi maluisti quam DEVM. Expulsus
 bus de paradiso, cum iure peccati, mortis catenis uinctus
 tempore. perire debuisses: Virginis uterum sine uirginali
 Ser. 67. dispendio pariendus introiui: in præsepi positus:
 ferie 2. pannis obuolutus: infantie contumelias & huma-
 post 1. nos dolores pro te pertuli: similis tibi factus, ut te
 quadra- mihi similem redderem: iridentium palmas &
 ges. sputa suscepi: acetum cum felle bibi: flagris cæsus:
 uepribus coronatus: cruci affixus: uulnere perfos-
 sus: tuos in me dolores & cruciatus suscepi, ut tu
 uitam & gloriam meam acciperes. Ecce hic uul-
 nera mea: ecce latus: ecce clauorum uestigia & ci-
 catrices: Hæ manus illæ sunt: hi pedes illi: quibus
 pro te in cruce pependi. Sic propter te laceratus
 sum. sic tuo nomine percussus, sic pro te uulnera-
 tus sum, tamq; horrendum crucis supplicium pro
 te

SCHOLASTICA.

ti adij. Cur ingratis redemptionis & oblationis
 mee sacrificium contempsisti? cur idolatricis homi-
 num adinventionibus plus quam uerbo Dei et Spi-
 ritus sancti testimonio credidisti? cur tuis indul-
 gentijs meritum mei latri annihilasti? cur uerba
 testamenti mei peruertendo mutasti? sanguinem
 meum conculcasti? Non te ego de morte mea quaero,
 redde mihi tu uitam tuam, pro qua ego meam
 dedi? redde mihi animas eorum, quas tu commen-
 tis humanorum meritorum, et traditionum super-
 stitionibus seduxisti? blasphemiae iaculis occidisti,
 gangraena impietatis peruertisti. Cur hoc corpo-
 ris tui habitaculum, quod mihi in te sacraueram,
 hosti meo dedisti? luxuriae sordibus polluisti? illece-
 brarum turpitudine maculasti? Cur me grauiore
 scelerum tuorum cruce quam illa, qua lubens olim
 pro te pependi, secundo crucifixisti? quid scelera-
 te, quid blasphemae respondes? quid obmutescis? Cur
 in homine Deum: in infirmo salutem in iudice ue-
 niam: in cruce uitam: in morte mea medicinam tu-
 am despexisti? Et cur post omnia haec mala &
 scelera tua conuictus, ad poenitentiae portum con-
 fugere noluisti? Qui tum ululatus? qui fletus? qui
 stridor dentium ad hanc iustam iusti iudicis inuisi-
 tabilem sententiam & condemnationem. Ite ma-
 ledicti in caminum ignis Gehennalis, qui uobis &
 diabolo paratus est: Ligatis manibus & pedibus,

D 5. Cc.

P A N E G Y R I S

etc. o sententia Gehenne : o conscientia uermis
o tormenta flammatarum : o abyssus ignis inextin-
guibilis.

Moti igitur huius instantis iudicij die, & hor-
rendis tormentorum infernalium cruciatibus, ex-
amus cum CHRISTO e scortatrice pontificum
& Phariseorum Babylone, & malignantium lu-
deorum Synagoga, extra castra, improperium
eius portantes: & cum Maria & Ioanne nos sista-
mus sub cruce, spectantes mortem eius, & acerbis-
simum crucis supplicium: & per ipsum offeramus
Deo patri iugem hostiam laudis, uitulos labiorum
confitentium nomini eius: & cum centurione eth-
nico & reliqua piorum manu reuertentes percu-
tiamus pectora nostra, uera spiritus contritione,
ut horribiles illas damnatorum poenas & crucia-
tus effugiamus. Dumq; adhuc in carne sumus, sa-
pientissimum illud ethnici Philosophi factum imi-

Seneca temur: Is, inquit, hac utor potestate: causam apud
libr 3 de me quotidie dico, cum sublatum est e conspectu
ira. ,, meo lumen, totum diem mecum scrutor, facta ac
,, dicta mea omnia recordor. Nihil ipse mihi abscon-
,, do: nihil transeo. Quare enim quicquam ex erro-
,, ribus meis timeam, cum possim dicere : Vide ne
istud amplius facias, nunc tibi ignosco. Hoc modo
nosmetipsos quotidie accusemus, uitiorum nostro-

rums

SCHOLASTICA.

rum sentinam exhauriamus, & ad portum poenitentiae, de uictis peccatorum fluctibus, Christo duce & auspice festinemus. Et si quid in nauicula & cymbula animae nostrae, multis tempestatibus & naufragijs peregrinationis nostrae fractum, ruptum, uel resolutum est: id iuxta normam uerbi & cynosuram fidei, inuitante & adiuuante spiritu sancti gratia, salutari poenitentiae remedio resarciamus & emendemus.

Tibi o fili Dei, domine & saluator noster IESU CHRISTE, pro nobis crucifixe & resuscitate, *μεσιτης ἡμετέρας*, toto pectore grates agimus, pro hoc sanctissimo passionis, mortis, & redemptionis tuae merito & sacrificio propitiatorio, quo nobis aeternum patrem reconciliasti: & peccatum, mortem infernum & diabolum destruxisti: & aeternam redemptionem parasti in sanguine tuo: Supplices te exoramus ut pro nobis intercedas apud aeternum patrem tuum, ut iram suam ingentem aduersus peccata nostra propitius a nobis auertat, tuq; ipse oculis misericordiae tuae nos clementer aspicere digneris, quibus olim in passione tua nutantem respexisti Petrum in atrio: Mariam Magdalenam in conuiuio: Latronem denique in crucis patibulo: Ut in illo extremo iudicio, cum resuscitato genere humano, ex puluere

PANEGYRIS

pulvere terræ ante tribunal tuum miseri peccatores sistemur, ultimam iudicis sententiam audituri: merito huius sanctissimæ passionis & mortis tuæ, per nostram in te fidem, à reatu poenarum Gehennæ absoluti pronunciamur iusti, nostrumq; in terris curriculum & certamen, beato fine & tranquillo exitu sic claudamus: ut decurso hoc uitæ spacio, et in ultimo agone per tuum seruati agonem, deuictis omnibus hostibus: peccato, carne, & diabolo: & superatis Scylla & Charybdi: ex inquieto hoc mari & profundo peccatorum pelago ad poenitentiae portum: ex morte in uitam: ex tenebris in lucem: ex hospitio mundi in coelestem patriam: ex ignominia in gloriam: ex igne & camino calamitatum huius seculi in requiem & refrigerium sempiternum, duce te leti perueniamus.
FIAT, FIAT.

Panegyris.

IN DIE COENAE DOMINICAE
ex III. Panegyrium sacrarum libro, qui est
MARTIVS.

CHORVS.

Si gloriari conuenit,
Nos gloriari possumus.
En trabs salutis ardua
Crucis trophæum nobile.

In

SCHOLASTICA.

In quo redemptor omnium
Pœnas luit mortalium:
Et gloriosi prælium
Victor subit certaminis.

Per hunc salu uictoria,
Mundiq; fit redemptio:
Illius & in sanguine
Patent polorum limina.

P V E R I

Psal. 66.

Benignitatis de super
Tuiq; lumen in nos conseras

C H O R V S.

Tu nos illumines
Fauoris alma gratia.

P R E S B Y T E R.

Quæ sumus omnipotens genitor, concede pijs
Supplicibus uotis pro pietate tua.

Vt dum sacra tui colimus mysteria nati,
Tractamusq; piæ lytra cruenta necis:

Mystica sic eius ueneremur & ardua sacra,
Corpore uescentes atq; cruore sacro.

Vt cibus ille sacer, preciosaq; munera mortis
Perpetuo in nobis fructificare queant.

Per tecum æquali regnantem numine Christum,
Cui sine fine decus lausq; perennis eat.

Apostolus.

P A N E G Y R I S

A P O S T O L V S .

I. Corinth. II.

Cum conuenitis in sacris congressibus,
Non ritè coenam sumitis.

Praesumit unusquisq; proprium sibi,
Et ordinem contemnit.

An non domos habetis, ut uescamini?
Potu uel impleamini?

Ecclesiam contemnitis: qui nil habent
Vel pauperes suffunditis.

Quid multa dicam? praedicem uel arguam?
Imo probare nescio.

Non instituta sunt mortuum:
Decreta sed sunt numinis.

Nam nocte CHRISTVS ultima, qua traditus
Exiit ex hoc seculo.

Sic pane fracto gratias cum debitas
Egisset, ipse protulit:

Hoc CORPVS EST MEVM: modo hìc quod
Vestriq; causa traditur. (frangitur,

Hoc de manu mea hìc edendum sumite,
Mei perenne symbolum.

Rursumq; cum coenasset, ipse poculum
Sic tradit illis inquit:

Hoc foederis mei nouum sit poculum
Meo sacratum in sanguine.

Quod

SCHOLASTICA.

Quod in mei uobis perenne symbolum
Hac lege sacra confecro.
De pane uobis ergo iam uescentibus
E poculo & bibentibus:
Annunciatio sacri fiat huius,
Dum CHRISTVS ipse uenerit.
Indignus ergo quisquis hunc panem accipit,
Sacramente libat poculum:
Is corporis CHRISTI reus tenebitur,
Illius atq; sanguinis.
Ergo probet seipsum prius per omnia,
Quicumq; uult accedere.
Namq; impie uescens uel impie bibens
Damnationem percipit.
Quod à profanis sacra non dijudicat,
Et inde tot sunt debiles.
Et pars eorum nunc sepulta indormijt
Contecta terræ puluere,
Si namq; nos dijudicaremus prius,
Non plecteremur à DEO.
At propter hoc diuinitus iam plectimur,
Damnemur hinc ne cum malis.

CHORVS.

Oda monocolos.

De sacra coena Domini.

CHRISTVS redemptor omnium
Saluator & credentium:

Lytro

P A N E G Y R I S

Lytro sui nos sanguinis
Solvit G. ienna uinculis.
Rei perenne symbolum
Coeleste stat conuiuium :
Sub pane dat corpus suum
Et in Lys sanguinem,
In regia mensa sedens
Attendat hospes coenitans:
Indignus has libans dapes,
Vita cadit : mortem attrahit.
Sermo ratus : constans fides :
Est panis iste quem uides,
Refectio languentium
Obsonium credentium.
Salutis istud pharmacum
Cor mole querit anxium :
Non ager es ? cede, abstine:
Mortem tibi nec attrahe.
Venite qui tristamini,
Refectio utamini:
Non Pharmacum ualentibus
Dat iatrus cum risibus.
Vin² tu mereri sidera ?
Quid nostra profunt uulnera ?
Nil haec ualet refectio
Si sis tibi curatio.

†. Pro tunc sacro libamine
Layda NVM cum carmine :
Cui dat hic pro crimine
Squalente nam fauere.

Hec

SCHOLASTICA

Hæc corde credens intimo
Et ore fassus publico :
Veni satis paratus es,
Hoc pharmaco curandus es.
Fructus fidem non deserat
Amorq; fratri miserat :
Tuis fruatur ut bonis
Ut tu fauore numinis.

EVANGELISTA

Ioan. 13.

Iamq; propinquabant typici solennia festi
Sacra, quibus Christus mundo transiret ab isto.
Ergo ut iam dudum in mundo dilexerat ante
Selectam turbam : sic funera ad usq; fouebat.
Et iam solenni postremam more peracta
Paschali coena : cum diri in pectora IVDÆ
Indiderat Sathanas, dominum quò proderet ipsum;
Omnia nota tenens, sibi iam diuinitus esse
Arbitrio commissa suo decreta parentis :
Seq; polo magno uenisse à numine magno
In mundum, atq; iterum à mundo super astra re-
Protinus à cœna surgens, tunicaq; reposta (uertit :
Lintea præcingit, peluimq; humoribus implet.
Inde pedes uenenum lustralibus abluit undis,
Et quo cinctus erat, linteò tergebat eosdem.

Iam seies Petrum tangebatur, at ille : lauabis
Tunc pedes domine ? atq; aduerso restitit ore.

E

Cui

P A N E G Y R I S

Cui IESVS: quæ nunc tracto mysteria, nescis.
Post tamen agnosces, euentuq; omnia disces.
Ille sed: haudquaquã, nunquamq; lauabis in æuuum
Hosce pedes, cœno ueteri illuuięq; rigentes.

Respondens inquit IESVS nisi lauero Petre
Tęq; pedesq; tuos, nulla est tibi portio mecum.

Ille sub hæc: domine at non tam squalentia crura
Quam caput atq; manũ sparsosq; in uertice canos
Respondens Christus reuentem hoc corrigit ore:
Qui semel est lotus, non crurue pedę ue necesse est
Amplius ut lauet hic, sed toto est corpore mundus.
Atq; equidem mundi uos estis, non tamen omnes.
Norat enim satis arcanum, qui proderet, hostem.
Non igitur mundos omnes hac uoce uolebat.

Postquam iam loti fuerant, sua pallia rursus
Induit. Et mensæ accumbens ita farier insit:
Accipite ergo animis, memoriq; hæc figite corde:
Vos præceptorem me compellastis: id ipsum
Non equidem abnuerim. nam me quoq; glorior es
Quod si præceptor uobis squalentia crura (se.
Atq; pedes dominus laui: lex altera restat,
Mutua quo uobis alios sit cura lauandi. (dum.
Quod feci, exemplum est: neq; ipso autore sequen=
Vera fides uerbis: nunquam præstantior ipso
Est seruus domino, maior nec Apostolus ipso,
Munus apostolicum qui commendauerat illi.

Pastor

SCHOLASTICA
PASTOR SVPPLEX
cum populo.

Ad Christum.

Christe salus hominum, nostrum quoq; pascha per ~~euum~~
Solutus praceptor noster, summusq; sacerdos,
Solutus & interpres uerborum Christe tuorum:
Hostia qui oblatus consummatissima patri
Ipse tuo deles mundi peccata cruores
Dasq; tui nobis pretiosi lytra cruoris
Omnipotente tuo uerbo, sub lege perenni,
Foederis in uirtute noui mysteria tecta
Sensibus humanis non euulganda per ~~euum~~:
Viuificum corpus sub pane, in calice atq; cruorem,
Iustitia & uenia aeternae indelebile pactum:
Pasce tuo in nobis arentia pectora uero,
Viuificq; tuo inflamma mea corda calore:
Ipsemet excutiam me sic indagine uera,
Ut quoties mensam hanc accedo, epulasq; tremen-
Purificata fide, uero contrita pauore (das:
Corda feram, & dignè accedam conuiuia tanta,
Ut tibi perpetuas soluam hoc pro munere grates,
Sponte tuiq; sequar diuini oracula uerbi,
Sancto proposito atq; acri, studioq; tenaci:
Ut uelut ipse tui pretiosi lytra cruoris
Diuidis in ~~er~~ nos, patrij & consortia coeli,
Teq; tuamq; animam immenso partiris amore.

E 2

ipse

P A N E G Y R I S

Ipse meo impendam fratri communia dona
Meq; facultatesq; meas, & coetera dona,
Christe manu percepta tua. cunctisq; periculis
Subueniamq; malis, simul eduremq; per omnes
Fortuna aduersae casus, mortemq; per ipsam
Ipse tui tandem **n**iam ad confortia regni.

L I T V R G I A.

Sacerdos.

Vobiscum dominus:

Chorus.

Tuus & dux spiritus esto.

Sacerdos.

Sursum corda.

Chorus.

Thronum domini tollamus ad altum.

Sacerdos.

Grates soluamus:

Chorus.

Domino super astra sedenti.

Sacerdos.

Dignum est & iustum.

Chorus.

Verè nil dignius unquam.

Sacerdos.

Nilq; salutiferum magis, aut laudabile quicquam

Nos tibi perpetuas & ubiq; has soluere laudes,

Magne Deus: pater omnipotens, regnator olympi,

Quod

SCHOLASTICA.

Quod noua per coenae sacrae mysteria magna
Coelitus infulsit nostris lux mentibus orta.
Ut dum uisibili aspiciamus iam foedere Christum,
In non uisibiles per eum rapiamur amores.
Ergo archangelis concentibus: atq; Thronorum
Vocibus: angelicis Musis: deniq; cateruis
Militiae aetherae, nostros etiam addimus hymnos:
Hymnos perpetuae laudis, sine fine canentes:

Chorus.

Sanctus iò sanctus: ter iò sanctissimus ille,
Rex zebaoth magnus, magni dominator olympi
Atq; exercituum dominus, Deus ille deorum.
Pleni sunt caeli: plenum mare, pontus, & aether
Maiestate tuae dextrae, laudisq; stupendae.
Laus & osanna sacrum super alti sidera caeli.
Sis bonus o felixq; tuis: tibi thura precesq;
Offerimus: fumant tibi nostra altaria Christe.
Tu rex: tu dominus benedictus in aethere celsos:
Laus & Osanna tibi super alti sidera caeli.

Sacerdos:

Supplex cum communicantibus.

Ad DEVM.

Summe pater: summi rex & possessor olympi.
Qui super alta sedes altior astra poli.
Qui pater es noster: patris & uis uoce rogari,
Non nisi sit sanctum nomen ubiq; tuum.

E 3

Terrarum

PANEGYRIS

Terrarum late adueniant tua regna per orbem
Et regno cedant omnia regna tuo.

Fiat & in terris tua sic diuina uoluntas,
Ut fieri faciem credimus ante tuam.

Hinc largire tuis famulis, quorum indiget usus
Omnia, quae panis quotidianus habet.

Cunctaq; clementer nobis peccata remitte,
Cuncta remissuri ceu sumus ultro alijs.

Et ne nos unquam pater in tentamina ducas,
Ipse sed à cunctis nos tueare malis.

Namq; tuum est regnum: tua sola potentia: sola
Gloria: dum secla haec secla sequentur. Cho. Amē

Consecratio Eucharistiae.

Sacerdos.

Saluator noster Christus cum nocte suprema
Traditus in mortem scelerata per oscula Iudae
Mactati sacris epulis accumberet agni:
Accepit panem, tensisq; ad sidera palmis
Cum benedixisset, frustratim in segmina plura
Diuidit, & socijs sic discumbentibus offert:
Accipite, & sacro uescendo absumite pastu. (stro
Hoc corpus nostrum est: quod nunc pro crimine ue
Traditur in mortem. moriens haec ultima uobis,
Ne qua inter sanctos occurrat opinio coetus
Hostilis: uel mos: uel mens alia omnia turbet:
Intemerata meae mortis sacramenta relinquo.

Hunc

SCHOLASTICA.

Hunc socij morem sacrorum usumq; tenete.

Hac sancti maneant in religione nepotes.

Hinc ubi coenatum fuerat, mensæq; remotæ.

Acceptis plenis spumantia pocula labris,

Et grates peragere, verbis ea porrigit istis:

Quotquot ad hæc sacra statis conuiuia mensæ,

Inq; meæ turbæ numero pars estis & ipsi.

(Infimus è uobis nullo discrimine habetor)

Omnes libate hæc calicis carchesia nostri.

Hic sanguis meus est: hæc contestatio magna:

Fœderis atq; noui stat lex in sanguine nostro.

Qui plenis modo pro uobis è corpore riuus

Funditur, ut sceleris lustret contagia uestri.

Hæc monumenta mei moriens extrema relinquo.

Vt cum uenturis celebrabitis ista diebus,

Pocula deq; sacra mensa libabitis ista,

Perpetuo nostræ sit commemoratio mortis.

Conuiuæ Christiani ante Eucharistiæ
sumtionem.

Ad DEVM patrem.

O immense DEVS, cœli terræq; creator,

Exhauri immensa qui bonitate nequis.

Ad te cuncta preces corda esurientia fundunt,

A te cuncta tamen, quo saturentur habent?

Supplicibus uotis toto te corde rogamus,

Atq; preces aras fundimus ante tuas:

E 4

Ardentem

P A N E G Y R I S

Ardentem in nobis accende famemq; sitimq;
Saluifici uerbi, iusticiaq; tuae.

Nostraq; caelesti saturato pectora manna,
Manna, qua mundum desuper ipse cibas.

Qui cibus est Christus, tui diuissima proles,
Sanguine qua delet crimina nostra suc

Da pater ut cibus hic uitam nos seruet in istam,
Quam mundo ostendit filius ipse tuus.

Semper ut ex aeuo tecum uiuamus in aeuum,
Inq; tuo regno hoc pane fruamur. Amen.

Post Eucharistiam.

Omnia quod mihi sint mea iam peccata remissa,
Et deleta sacro sanguine Christe tuo.

Christe tuo quamuis ratio sensusq; repugnent,
Sanguine me potas, corpore meq; cibas.

Ne mea deficiat, sed ut in te firmior extet,
Accipiatq; illinc uiua alimenta fides.

Quas tibi quas tali reddam pro munere grates,
Dignaris tectum quod subiisse meum.

Christe salutarem precor hanc operare per escam
Flamine cor sanctum uiuificante meum.

In me quo maneat, in te maneamq; uicissim:
Simq; tuus totus, totus & ipse meus.

Ne me Christe tuo quicquam diuellat amore
Vel caro: uel mundus: Tartareusue Draco.

Sic quae confracta est, iterum coalescet arundo.
Atq; fides, quae nunc fumigat, ignis erit.

Sacerdos.

SCHOLASTICA.

Sacerdos.

Gratiarum actio ad DEVM.

Adiuuimus omnipotens iustas pater optime grates,

In genua atq; aras sternimus ante tuas.

Corporis ambrosia, quae nos et uictare nati

De mensa caelestis paueris ipse tuae.

Supplicibusq; per haec uotis misericordia cordis

Viscera pulsamus sollicitando tui.

Dona per haec fidei da sustentacula magna,

Promptius ut inter nos feruor amoris eat.

Per tecum aequali regnantem numine Christum,

Imperium caeli qui moderatur. Chor. Amen.

Benedictio.

Num. 6.

Sacerdos.

Sede sua Dominus tibi met benedicat ab alta,

Teq; manu custos protegat ipse sua.

Ostendat Dominus misericordia lumina uultus

Te super: exilio condoleatq; tuo.

Irradiet Dominus patrio te lumine uultus,

De super et pacem conferat ipse tibi.

Panegyris.

In die passionis Dominicae.

Chorus.

Quid gentium furor grauis

Vulgiq; concitatio haec?

E s

Quid

P A N E G Y R I S

Quid murmura hæc uolunt sibi?
Quid arma? quid subsellia?
Quid mussitant reges? quid ad=
Volant in unum principes?
In conditorum sidera
Eiusq; Christum filium
Pueri.

DEVS salutis unica
Virtus mea & potentia.
Chorus.

In hoc die tumultuum
Defende tu caput meum,
Presbyter.

O soboles æterna DEI, dulcissime IESV:
Hoc sacro passus fanda nefanda die.
Bovias, numellas, dirasq; in corpore plagas,
Funes, & ferulas, lora, flagella, nepres.
Sarcasmos, calaphos, sannas, opprobria, diras,
Sputa, crucem, clauos, uincula, probra, necem.
Latronesq; inter ductus ceu dirus alestor
Ad damnatorum supplicijq; locum.
Ut damnatorum e pœnis & carcere Ditis
In regni inferres patria iura tui:
Supplicibus uotis tua numina sacra rogamus,
Per duræ mortis funera acerba tue.
Respice nos scelerum fontes, & crimina nostra
Saluifico lateris diluc fonte tui.

Sordibus

SCHOLASTICA.

Sordibus ut nostris, innata & stigmatē culpæ
Lustrari sacro sanguine Christe tuo.
Obsequium tibi seruitij præstemus in æuum,
In regno & simus libera turba tuo.
Et postliminio in paradisi regni reducas,
Ad maiestatis culmina sacra tuæ.
Qui semel & uiuis, regnasq; in secula cuncta,
Cum patre: cum sancto flamine: numen idem.

Propheta.

Cap. 62. 63.

Hec dicit Dominus DEVS:
Ite atq; ista SION dicite filie.
Saluator uenit en tuus,
Et secum sua fert debita præmia.
Vindictæq; opus arduum.
Atq; hoc nomen erit quod dabitur tibi.
Gens sacra: emptaq; sanguine:
Solijs DOMINI grande peculium.
Non deserta eris amplius,
Urbs quæ sita DEI sacra uocaberis.

Esaias.

Sed quisnam iuuenis procul
Hic nostris se oculis subiicit ex EDOM?
Rubris murice uestibus:
Totus purpurea magnificus stola?
Christus.

P A N E G Y R I S

Christus.

Ipsē hic ipsemet aduolo

Præco iustitiæ : iudicij arbiter.

Zelotes grauis, inclytus:

Heros magnos terrens et hostium.

Esaias.

Sed cur tota rubet tua

Vestis : sanguineis sparsa cruoribus.

Calcatas uelut exprimit

Vuas purpureis uinitor ocreis ?

Christus.

Solus præla Lyaia

Calcaui pedibus : solus et exprimo.

Et de gentibus omnibus

Nemo præterea uinitor adfuit.

Calcaui in fremitu meo,

Confregi q; uelut terrea uascula.

Hinc uis sanguinis uuea

Ceu ruptis simul hinc follibus exijt.

Hinc illa macula rubra,

Et foedata mihi pallia sordibus.

Nam me iudicij dies

Vindictæq; grauis suscitât ultio.

Atq; hic annus erit mei

Lytri magnifici magna celebritas.

Spectauit : sed erat nihil

Terrarum auxiliij gentibus omnibus.

Aduerit

SCHOLASTICA.

Aduerti : at penitus fuit

Nusquam hic ulla salus : nulla redemptio.

Ergo me mea dextera

Armavitq; meus magnanimus furor.

Prosternamq; me

Hostes : inq; m turbine pectoris

in terris stygis in domum

Effuso proprio sanguine persequar.

Chorus.

Osea 6.

Iam moesta Christi ecclesia

Lugendo tundit pectora

Duroq; pressa pondere

Supplex fit ille in stipite.

Venite iam redibimus,

DEOq; confitebimur :

Is sanat atq; uerberat,

Affligit & nos alligat.

Viuosq; nos & sospites

Iam post duos reddet dies :

Et in die nos tertia

Resuscitabit postea.

Attendite & uidebitis,

Et in DEVM sperabitis :

SVOQVE E DORMITORIO

EXIBIT IN DILVCVLO.

Prodibit

P A N E G Y R I S

Prodibit ut serotinus

Imberne temporaneus :
Qui roribus stillantibus
Fœcundat arua fructibus.

Quid conferam tibi Ephraim ?
Quid conferam Iuda tibi ?
Diuina sic clementiæ
In te fluentia decident

Vt nocte ros in floribus
Qui manè coelum nubibus
Obducit, & madentia
Relaxat intus viscera.

Et propter hoc ut stipites
Sectare uerbi hos leuiga :
Et per Prophetas dedolo
Nodosa sicut robora.

Diuina uerbi ueritas
Tandem triumphat unica :
Et luceant, ut sidera
Verbi sacrati oracula.

Nam uictimas non amplius
Sed caritatem diligo.
Delector & scientia
Plus hostiarum sanguine.

Esaias

SCHOLASTICA

ESAIAS.

Cap. 53.

At qua fronte fidem inueniam sermonibus istis?
Vnde uel aggrediar causam hanc: quouē ordiar ore?
Expeditam? uum prompta stat. quis talia fando
Frustra? aut si commemorem quis credidit unquam?
Nam cui diuinæ sat tanta potentia dextræ
Cognita? cui robur domini sat constat in ipso?
Ipsemet è terra superas se tollet in auras
Virgulto similis: quod de moriente resurgit
Stipite, floricomam ostendens per brachia frondē.
Aut sitiente uelut de terra surculus exit.
Nulla sed hîc species: non forma apparuit ulla:
Nulla Venus: nullum toto decus extat in ore
Vidimus aspectum, sed quem contempsimus omnes,
Et quem nemo sibi mundo exoptauerit unquam.
Despectum: postremum hominem uirumq; dolorū.
Qui cursum in mundo hoc extrema per omnia ducens,
Accepit uitam in pœnas: in uulnera corpus.
Mundo erat inuisus: os: facies auersa: Βδ' ἐλιγμοσ,
Nausea, contemptus: labium execrabile terris
Ergo & pro nihilo & nullo reputauimus ipsum.
Verè languores nostros tulit ipse dolores
Portauit nostros, nostraq; opprobria culpæ.
Vidimus in plagis pendentem & stipite ligni,
Sed ueluti probrum, & diræ contagia lepræ
Horruimus,

146a

P A N E G Y R I S

Horruimus, tanquam percussum à numine sacro,
Ut diræ fugerent reliqui spectacula pœnæ.

Ipse sed ob culpas nostras hæc uulnera passus
Pertulit: attritus fuit idem ob crimina nostra.

Et discipline hæc durissima uerbera nostro

Nomine sustinuit: nos hæc plecteret ira,

Liuor & illius nostri est medicina doloris.

Instar aberrantū hinc ouium deerrauimus omnes,

Quisq; uias proprias: propria & uestigia culpæ.

Ingressi sumus hic: errorum et fraudis abunde est.

In pelagusq; graue hoc scelerū, syrtesq; profundas

Plagarum dominus nostrarum conijcit illum.

In pœnis tamen haud irato obmurmurat ore,

Aut plagæ impatiens hircus transuersa tuetur:

Sponte sed ad mortem sese mitissimus offert.

Vocæ reuictatus nunquam, aut contrarius ore.

Instar ouis, lanij ductum quæ sponte secuta

Obsequitur, tinctos metuit nec sanguine cultros.

Balantumue tener subductus ouilibus agrus

Tonsori occurrit, placidoq; obmutuit ore.

At nunc tormentis pœnarum euasit ab istis,

Versaq; iudicij iam sunt subsellia iniqui.

Quis finem regni illius? secula fando

Enumeret? fuit abscissus mortalibus oris,

Stamina ceu manibus subito rumpuntur auaris

Ob populiq; subit perpeffus crimina mortem.

Occubuit leitho infami ceu dirus alastor.

De

SCHOLASTICA.

De cruce suspensus, scelerati more latronis :
At Mausoleum accepit, splendentia busta
Diuitis : inq; horto solido de marmore tumbam :
Funere magnifico : nulloq; cadauere timctam,
Persusam unguentis liquidis. & Orontide stacte.
Idq; ideo, quod non scelus ipse commiserit ullum,
Nec dolus illius fuerit conceptus in ore.

Fata sed hos illi superum imposuere dolores.

Ergo ubi iam peccata hominum deleuerit, ultro
Porrecto iugulo, & proprio iam sanguine fuso :
Longaeuum accipiet semen, cursuq; secundo
Caetera perficiet uictor : dominiq; uoluntas
Illius auspicio succedet prospera in orbe
Terrarum : fugient plenis data carbasia uentis.

Sic ubi iam petijt pulcram per funeri i mortem,
Ducet honoratum cruce exaltata triumphum,
Victor & e tumulo terna iam luce resurget :
Sub pede prostratis letho, inferniq; Tyranno.
Ereptisq; umbris, spolijsq; redibit onustus,
Iam late exorsus terrarum regna per orbem,
Notitiam uerbi accendens : ueloq; remoto
In lucem e tenebris multos reuocabit ab Orco
Illorum siquidem poenas portauit & aestum.

Ergo etiam capiet meriti stipendia regni
Fortes terrarum : praedam & iam diuidet illis.
Quippe crucis subijt maledictam in stipite mortem.
Inter & infames fuit annumeratus a laetor :

F Multorum

P A N E G Y R I S

Multorum portans scelera & peccata nefanda,
Omnibus & supplex pro transgressoribus orat.

Pastor supplex cum
populo.

Ad Christum.

I E S U fons uitæ, uerū perennis abyssus,
E cuius latere hic uita salusq; fluit.
Quiq; hac luce sacra, iam nona parte diei
Ad mortem patri subditus usq; crucis.
In ligno moreris, manibusq; expansus in auras
Hinc ad te expirans secula cuncta trahis.
Et iusto pandis paradisi regna latroni,
Atq; aditum ad cæli limina celsa facis:
Sparge salutiferas stillanti e pectore guttas
Desuper, atq; in me uulnera funde tua.
Angores usq; Chryste tuos, & mortis agonem
Totius & meriti pondera sacra iui.
Sensibus intuear ueris, & spiritu amaro,
Pectore compuncto, prosequar illacrymans.
Ut mea cum Petro dignè quoq; crimina plangam,
Et moestus tacitis fletibus & a rigem.
Agnoscamq; meam hac preciosa in morte salutem:
In plagis uitam: in funere iustitiam.
Ut tibi perpetuas soluam hoc pro munere grates,
Suppliciumq; tuum ceu paradigma sequar
Atq; per hunc in agone meo seruatus agonem,
Cum iusto subeam regna latrone tua

Paraphrasi

SCHOLASTICÆ

Paraphrasis poëtica Psalmi uicesimi secundi
de cerua matutina capta, ex III.
Elegiarum libro.

ELEGIA III.

M. Antonij Flaminiij argumentum.

CHRISTVM DEVM loquentem in
uicis propheta, ac tormenta & cruciatus acer-
bissimos, quos ille salutis nostræ causa pertulit, ita
persequitur, & singulatim enarrat, ut non multis
ante seculis uaticinari, sed rem gestam præsens
uideatur exponere. Prædicat etiam eius ad uitam
reuocationem, atq; omnium gentium salutem. In-
scribitur etiam hymnus pro cerua matutina, pro-
pterea quod ut cerua canum uis exagitur: sic
IESVS matutino tempore à rabiosis hominibus
dilaniatus, & in crucem actus fuit. Quocirca se-
mel atq; iterum, queritur in his carminibus, se à
canibus circumfederi.

CHRISTI in cruce ciulantis
Prosopopœia.

Men' Deus abiectum? men' uis pater esse relictum?
Molenè mole ista succubuisse fines?
Rugio: sed frustra, nec uociferatio tanta
Quem me commoueat, quem mea flectat, adest.

Exordia
um ex ab
rupto per
exclama
tionem,

F 2 Tota

P A N E G Y R I S

qua ma- Tota mihi rerum natura aduersa repugnat,
 gnitudi- Deseror atq; homini: deseror atq; DEO.
 nem pas- Te ueniente die inclamo: teq; nocte profunda
 sionis suæ Effusis lacrymis in mea uota traho.
 exagge- Sed neq; luce mihi respondet: Te nec audis:
 r t. Inq; meas clares auris optata tua est
 Aduer- Angar an exclamem? mente aduersante repugne?
 satiuæ Aut te deo mecum pectore murmur agam?
 per in- Haud ita: subsidium quamuis protraxeris ultra,
 terroga- Corde tamen nunquam deficiente cadam.
 tionem. Tu siquidem Isacidum DEVS es, custosq; Sionis:
 Subiectio Sanctus & in templo: sanctus in urbe tua.
 per ne- Tu lyra: tu populi psalmus: tu noster es hymnus:
 tionem. Inq; tuas laudes carmina nostra uacant.
 Nil nisi te iustum, te manat & auspice sanctum,
 Nostraq; iudicio est subdita causa tuo.
 Exemplo est populus tuus & dilecta propago,
 Sub cruce quæ semper te duce tuta fuit.
 Te duce defensi patres atauiq; fuerunt,
 Ipse Abraham: ipse Isaac Isacidumq; genus.
 Defensi per tot rerum discrimina summa
 Moses atq; Aaron: turbaq; sancta tua.
 Ipsi fidebant: fidebant firmiter in te:
 Ereptiq; simul sunt bonitate tua.
 Ad te clamabant tensis ad sidera palmis,
 Atq; implorabant numina sancta tua,

Visa

SCHOLASTICA.

Visa nec ipsorum sunt irrita uota fuisse,
Nec pudefacta unquam gens tua sancta fuit.

Ipsæ sed abijcior uelut execranda teredo,
Effigiemq; ~~in~~ ~~me~~ nil iuuat esse meam.
Dira sum pestis maledicta, causea uulgi:
Plaga hominum: gentis sex, anathema meæ.
Quotquot me aspiciunt, concusso uertice nasum
Crispant, & rabidi dentibus ore crepant.
Pars etiam erectæ contorquet spicula linguæ,
Vipereumq; in me uirus ab ore uomunt.
Quicquid in insenso latet atræ pectore bilis,
Et Phlegentontæq; uiscera felle coquit.
Id tumidis in me buccis, dirisq; cachinnis
Eructant, adduntq; in mea uota scelus:
Filius ergo Dei hæc referes, & nuncius ibis
Atq; recensebis facta nefanda patri.
Degeneremq; illi populum narrare memento,
Et Solymos stirpis germina dira sacræ.
Si potis es, linguaq; uales (nam plurima fando
Vis diuina tibi: & semper in ore pater)
I nunc: & superos uerbis in uota rogato,
Fortiter acclama: uociferare Deum.
Confusus superis fuit, & sua numina celo
Altaq; iactauit regna genusq; polo.
Si placeat, adueniant superi: si numen in ipso est,
Consortem eripiant numina sacra suum?

F 3

Talibus

Narra-
tio per
antith-
sin.

Exagge-
ratio &
amplifi-
catio.

A forma
eius con-
temptu.

A con-
tumelio-
sis homi-
num ge-
stibus.

A sermo-
nibus bla-
sphemis.

P A N E G Y R I S

Talibus aggreditur me gens hæc impia sannis,
 Hærentem in pœnis ludificatq; meis.

Ab anti- At tu fida uelut me obstetrix matris ab aluo
 thesi seu Extraxti: me opus hîc gloriôr esse tuum.
 confessio- Per te iucundum, ~~cor~~ lumen
 ne Chri- Aspicio: per te lux mihi sacra patet.
 sti. Per te prima meæ concepta coagula carnis,
 Plasmaq; sum digitis massaq; facta tuis.

Tu nutrix mihi: tu mea spes animosa fuisti:

Filius ante æuum te patre natus eram.

In te proiectus caro sum genitricis ab aluo:

Cum lucem aspexi, tu mihi numen eras.

Ne procul abscedas igitur, ne longius absis:

Nam prope sunt hostes: sunt prope fata mea.

A luctu Fata suprema instant: mihi luridus ingruit hor-

Spirituâli Et spissus toto corpore sanguis abit. (ror:

in horto. Tota auersa à me rerum natura recedit,

Nec qui clade mea commoueatur, adest.

Non me cerua leuis, timidi aut formidine dæmæ.

Ab im- Innocuusue thoes, uel fera dorcas agit.

manitate Sed circumuentum captumq; iocibus armis

et cruâ Inclusumq; uncis unguibus usq; tenent.

delitate, Tigrides immanes, iracundiq; leones:

hostium. Cornibus atroces bubalus atq; Bison.

Syluestres uri atq; immani corpore tauri,

Quos uiridi in Libani gramine resses alit.

Hi

SCHOLASTICA.

Hi uastis in me distendunt rictibus ora,
 Et sparso praedam faucibus ore tenent.
 Diffuso uulneribus, ruit atq; e corpore sanguis,
 Non secus ac fracto diffluit unda uitro.
 Membra loco ~~cau...~~ sibus ossa cohaerent:
 Luxatosq; artus, cruraq; nexa traho.
 Pectoris ille mei sic in me diffluit humor,
 Colliquefacta uelut cera calore cadit.
 Vires deficiunt: membrorum uiuida uirtus
 Exaret: succus corporis omnis abit.
 Non secus ac rapidis figuli fornacibus astra
 Humore absumto coctilis urna riget:
 Fauces exugentur: adheret lingua p. lato:
 Ad tumuliq; fores flebilis umbra feror.
 Namq; uelut ceruam circumdat odor, a canum uis,
 Inq; plagas lto e uertice montis agit:
 Undiq; sic uastis in me lairantibus atq;
 Rictibus accurrit turba molossa canum.
 Fex sceleratorum me colluiesq; maligna
 Cingit, & a mortem suppliciumq; trahit.
 Insuper & palo affixus suspendor in auras,
 Confodiorq; manus: confodiorq; pedes.
 Omnia luxati numeres mihi corporis ossa,
 Costarum series statq; bisulca mihi.
 De tot tormentis grauib; lethoq; cruento,
 Et de tam dura conditione mea:

A circumstantia plagarum.

A conglutinatione hostium per comparationem cum canibus uenaticis. Ab educatione ad supplicium. A confusione manuum & pedum. Ab etiam

illi ligatura
 XIX.

ed.
 r=
 or:

o.

t.
 Hi

P A N E G Y R I S

Illi iucundi capiunt spectacula risus,
Deq; meis pœnis læta trophœa canunt.

A diuisi- Insuper exuias nostras gens partijt ista,
one & Iacta super tunicam fors ceciditq; meam.
Sorte ue- Nulla igitur cum sit nostræ miseratio cladis,
Stimento- Nec modus in pœnis metæ nec ulla meis :
rum. Ad te confugio, duroq; in stipite pendens
Proposi- Cum supplex nequeam tendere ad astra manus :
tio peti- Brachia tendo tibi, plagosurq; offera corpus,
tionis. Pronus & ante thronum lumina flecto tuum.
Respice de cœlis, iam iamq; accurre dolenti,
Confir- Longius à plagis nec pater esto meis.
matia. O mea uita pater : mea magna potentia solus :
Ab hœne- Solus & auxilium confugiumq; meum.
sto. Huc ades, ab propera : propera nec longius esto,
A facili. Fortiter in pœnis meq; tuere meis.
Eripe me uitamq; meam de cæde cruenta,
A possi- Deq; molossorum seuitia atq; manu.
bili. Latrantesq; canes inhibe : concludite leonum
Spumantes rictus : cornigerasq; feras
Frange: quibus caput est ceruicis, sed molis equinae
Corpus & in pedibus crura elephantis habent.
Omnis uis unum quibus est adamantina cornu :
Ferrea frons : facies hirta, manusq; gryphis.

Conclu- Hæc si uota mei non despicias anxia cordis,
sio cum Sed patula querulas suscipis aure preces :

Nulla

S C H O L A S T I C A.

Nulla meos unquam capient obliuia sensus,
 Sed tibi perpetui carminis hymnus erit.
 Et multo imprimis celebrans tua numina cantu,
 Cum chorus infantum psallet osanna sacrum.
 Inter oliuarum ramos, balmasq; uirentes,
 Quando triumphauero, sine uictor ero :
 Tibi medijs surgens in coetibus ipse
 Fratribus extollam nomen ad astra tuum.
 Magnificeq; diem hunc totum uulgabo per orbem,
 Quattuor in mundi partibus inq; plagis.
 Vina, nouum foedus, nostri monumenta cruoris,
 Fundam perpetui mystica dona sacri.
 Ambrosiamq; nouam statuam, conuiuia sacra,
 Corporis & nostri coena perennis erit.
 Auspiciu[m] lecti proceres, duodenaq; turba
 Edocti facient, poclaq; nostra bibent.
 Cantabunt hymnum pueri, diuumq; sacerdos :
 In mortemq; edent carmina sacra meam.
 Hic mos ad seros durabit in orbe nepotes,
 Atq; aeterna meae symbola mortis erunt.
 Haec tibi semper erunt, & cum solennia sacra
 Reddemus templis & pia thura tuis.
 Annua cumq; meae redeunt spectacula mortis,
 Haecq; triumphalis uenerit orta dies.
 Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
 Teq; super terras, & super astra canam.

gratia=
 rum acti=
 one per=
 petua.

Institutio
 coenae in
 commemo=
 ratione
 in mor=
 tis Chri=
 sti.

F S

Huc

P A N E G Y R I S

Altera
 pars Pjal
 mi uati=
 cinium
 seu pro=
 phetia de
 resurre=
 ctione
 Chr sti,
 & regno
 ipsius per
 quier=
 sum orbē
 terrarū
 institu=
 endo.
 Proposi=
 tio.
 Ab auxi=
 lio ei
 spe ciali.
 A pro=
 prioe x=
 emplo.

Huc huc posthabita qui religione deorum
 Numen adhuc colitis ueridicumq; Deum.
 Huc agite huc mecum ad montem contendite san=
 Inq; domum domini me duce ferte pedem. (Et ma
 Lecta manus iuue ~~...~~ inuuptaq; puella,
 Cum nuribus matres, cum patribus ~~...~~
 Vosq; sacerdotes domini, gentisq; s crata
 Thuricremi fratres, pontificesq; pi
 Omnis progenies iacob, ueriq; nepotes
 AEmula quos pietas religioq; patrum.
 Isacidūmq; fides & promulgatio pacti
 Vnit, & ad templum hoc congregat usq; sacrū.
 Tollite magnificum super alti sidera caeli
 Numen: in excelsis laus sonet alta Dei.
 Illum omnis tellus supplexue ueretur, adoret:
 Illum omnis metuat gens hominumq; tribus.
 Namq; erit ille mihi semper Deus: ille iehoua est
 Numen: & ille salus auxiliumq; meum.
 Nullius afflicti clamorem respuit unquam,
 Nec faciem à plagis dirigit ille meis.
 Nam neq; contemnit, nec dura fronte repellit,
 Pectore quotquot eum sollicitante rogant.
 Inq; meis plagis magnis, grauibusq; querelis
 Propitius, quando uociferabar, erat.
 Ergo in solenni coetu, populiq; corona
 Cum genus ad templum confluit omne tuum.

ipse

SCHOLASTICA

Ipse tibi soluam mea uota : amplissima uota :
Et coram populis omnibus intus ero.
Instituamq; novos hymnos : noua cantica surgent:
Foedere cumq; nouo mensa erit ipsa noua.
Non hic proposita sacula pristina, panes :
Pascha sed eternum man. aq; Christus erit.
Huc lecta exilio pubes, (miserabile uulgus)
Que fictis coluit numina falsa sacris.
Esuriemq; grauem perpeffa famemq; malignam
Et procul à mensis turba remota meis.
Turba domos habitans tristes sub ualle profunda,
Fluminaq; ad Lethes in regione necis.
Numinis atq; expers, & religionis egena
Suspiransq; humili prandia nostra fide.
More canum, micas inhians de diuite mensa,
Nausea quæ populo sunt odiumq; meo.
Confluet, & positis epulabitur ordine mensis
Conuiuia ambrosiæ nectaris atq; mei.
Pancq; uescetur uiuo de corpore nostro,
Et lateris nostri sacra fluentia bibet.
His saturabuntur mensis, uiuentq; per æuum,
Atq; hilari cantu iubila sacra trahent.
Vicina aspicient gentes : populosa Damascus,
Et patria Aegyptus subdita colla dabit.
Sponte sua uenient, moniti ad dominumq; redibunt
Atq; Palestina sacra sepulcra colent.

Ab effe

tu

Ismarus

P A N E G Y R I S

Ismarus & Rhodope, atq; extremi Garamantes,
 Et Libyam quæ gens sole perusta tenet.
 Hesperia accurret: tibi seruiet ultima Thule:
 Græcia se sacris subiicietq; tuis.
 Tigris & Euphrates ~~in~~ ~~ad~~ ~~amnem,~~
 Baptismi ut videant diua Quæra tui.
 Ortus & occasus: Boreas spectabit & auster.
 Atq; tibi supplex maximus orbis erit.
 Quippe Palæstinae gentem non respicit unam,
 Aut Solymes tantum regia sceptrâ gerit.
 Sed gentes pariter Dominus dominatur in omnes.
 Sceptrâq; terrarum: sceptrâ poliâq; tenet.
 Rex Iudeorum: rex gentibus omnibus idem:
 Omnibus atq; offert regna beata poli.
 Ergo omnes pingues terre, regesq; potentes:
 Induperatores, magnanimiq; duces.
 Imperijq; sacri septem augustissima scuta,
 Grandia cesarei fulcra futura throni.
 Et reliqui heroes, quibus hæc mea causa probatur,
 Atq; Euangelij est norma recepta mei.
 His etiam accumbent mensis, & poplite flexo
 Numen adorabunt, in faciemq; cadent.
 Meq; sibi agnoscent dominum regemq; potentem,
 Imperioq; meo subdita colla dabunt.
 Inde status reliqui et membra haud inuita sequen-
 Viuet & ad leges infima turba hæas. (tur,
 Infima


SCHOLASTICA.

Infima nam quid agat plebs & miserabile uulgus
Cur misera obsistat terra cinisq; Deo:
Cum puncto nequeat producere longius uno
Mortalem hanc uitam, aut pellere fata nigra.
Sed cadat agmatim, cum ratur ad umbras,
Dersa uelut folijs consita terra iacet.
Posteritas igitur spontanea seruiet illi,
Nascetur studijs gensq; dicata sacris.
Atq; domus domini cunctis dominabitur oris,
Consurgentiq; tribus, progeniesq; noua.
Nati natorum, & nunc qui nascentur ab illis,
Praecones regni iustitiaeq; Dei.
Iustitiae: qua nos meriti sine pondere nostri
In regnum merito uindicat ipse suo.
Et bonitate sua immensa ueniaq; perenni
Omnibus e poenis eripit atq; malis.

Promissio de duratione & stabilitate ecclesie in semine sanctorum.


FINIS.

Ex tyrigetarum metropoli, typis Caspari
Stockheimij: impensis Ottonis à
Riſwick, Bibliopola.




152





AB 47 $\frac{22}{h, 24}$

X 220083 ↑
5b.



M. C
PA
SCHOL
niuersarian
IESV C
mirandi hu
tes, fines
geli

M. D.

I. Pa
II. Pa

